9

Burone, Joseph

DE

INTOLERANTIA CATHOLICA

SEU

DE SENTENTIA

« EXTRA ECCLESIAM NULLA SALUS »

DISSERTATIO THEOLOGICA.

TAURINI
EX TIP. A. VECCO ET SOCIORUM
MAGNI BULLARII ROMANI EDITORUM
MDCCCLXVIII.

Pius PP. IX, Pontifex Maximus, in Encyclica *Quanto conficiamur*, quam providus Pastor ad Cardinales, Archiepiscopos et Episcopos Italiae adversus plures aetate hac nostra errores grassantes dedit sub die 10 augusti 1863, haec inter alia habet: « Atque hîc, dilecti filii no-
» stri et venerabiles fratres, iterum commemorare et
» reprehendere oportet gravissimum errorem, in quo
» nonnulli catholici misere versantur, qui homines in
» erroribus viventes et a vera fide atque catholica uni-
» tate alienos ad aeternam vitam pervenire posse opi-
» nantur. Quod quidem catholicae doctrinae vel maxime
» adversatur. *Notum nobis, vobisque est, eos, qui in-*
» *vincibili circa sanctissimam nostram religionem igno-*
» *rantia laborant, quique naturalem legem eiusque*
» *praecepta in omnium cordibus a Deo insculpta sedulo*
» *servantes, ac Deo obedire parati, honestam rectamque*
» *vitam agunt, posse, divinae lucis et gratiae operante*
» *virtute, aeternam consequi vitam; cum Deus, qui*

» *omnium mentes, animos, cogitationes, habitusque*
» *intuetur, scrutatur et noscit, pro summa sua boni-*
» *tate et clementia minime patiatur quempiam aeternis*
» *puniri suppliciis, qui voluntariae culpae reatum non*
» *habeat.* Sed notissimum quoque est catholicum dogma,
» neminem scilicet extra Catholicam Ecclesiam posse
» salvari, et contumaces adversus eiusdem Ecclesiae
» auctoritatem, definitiones, et ab ipsius Ecclesiae uni-
» tate, atque a Petri successore Romano Pontifice, *cui*
» *vineae custodia a Salvatore est commissa* [1], pertina-
» citer divisos, aeternam non posse obtinere salutem.
» Clarissima enim sunt Christi Domini verba: *Si Eccle-*
» *siam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus:*
» *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me*
» *spernit*, etc. » [2].

1 Concil. Œcum. Chalcedon. ad Leonem Papam.

2 Similia habet Allocutio Consistorialis *Singulari quadam*, die 9 decembris 1854, ubi haec leguntur: « Quod vero Apostolici nostri » muneris est, episcopalem vestram et sollicitudinem et vigilantiam » excitatam volumus, ut, quantum potestis contendere, opinionem illam » impiam aeque ac funestam ab hominum mente propulsetis, nimirum » quavis in religione reperiri posse aeternae salutis viam. Ea qua prae- » statis solertia ac doctrina demonstretis commmissis curae vestrae po- » pulis miserationi ac iustitiae divinae dogmata catholicae fidei neuti- » quam adversari. Tenendum quippe ex fide est extra Apostolicam » Romanam Ecclesiam salvum fieri neminem posse; hanc esse unicam » salutis arcam, hanc qui non fuerit ingressus diluvio periturum; sed » tamen pro certo pariter habendum est, qui verae religionis ignorantia » laborent, si ea sit invincibilis, nulla ipsos obstringi huiusce rei culpa » ante oculos Domini. Nunc vero quis tantum sibi arroget, ut huius- » modi ignorantiae designare limites queat iuxta populorum, regionum, » ingeniorum, aliarumque rerum tam multarum rationem et varieta- » tem? Enim vero, cum soluti corporeis hisce vinculis videbimus Deum » sicuti est, intelligemus profecto quam arcto pulcroque nexu mise- » ratio ac iustitia divina copulentur, quamdiu vero in terris versamur

In praescripto summae auctoritatis testimonio tres partes aptissime distinctas considerare est: quarum prima errorem gravissimum, qui indifferentismo vel latitudinarismo valde affinis est[1], in sua generalitate enuntiat et arguit, cui doctrinam catholicam opponit, ibi, *Atque hic*, etc.: reliquae duae doctrinam ipsam catholicam dilucide declarant et explicant: altera quidem, quoad eos qui invincibili ignorantia laborant, quique Deo obedire parati honestam rectamque vitam agunt, mitissima, quos divinae bonitati et clementiae committit, et divinae lucis et gratiae operante virtute aeternam vitam consequi nihilominus posse absolute pronunciat, ibi, *Notum nobis, vobisque est*, etc.; altera, quoad contumaces et rebelles qui cognitae veritatis luci et Ecclesiae auctoritati voluntarie reluctantur et ab Ecclesiae unitate atque a Romano Pontifice Petri successore pertinaciter divisi sunt, severissima, adversus quos tandem totam catholici dogmatis, *neminem scilicet extra Ecclesiam Catholicam*

» mortali hac gravati mole, quae hebetat animam, firmissime teneamus » ex catholica doctrina unum Deum esse, unam fidem, unum baptisma; » ulterius inquirendo progredi nefas est ».

1 Sub titulo *indifferentismi* vel *latitudinarismi* quatuor sequentes propositiones a S. Sede reprobatae recensentur in *Syllabo* adnexo litteris Encyclicis SS. D. N. PP. Pii IX sub datum 8 decembris 1864; nempe:

Prop. XV. Liberum cuique homini est eam amplecti ac profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus veram duxerit.

Prop. XVI. Homines in cuiusvis religionis cultu viam aeternae salutis reperire, aeternamque salutem assequi possunt.

Prop. XVII. Saltem bene sperandum est de aeterna illorum omnium salute, qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur.

Prop. XVIII. Protestantismus non aliud est quam diversa verae eiusdem christianae religionis forma in qua aeque ac in Ecclesia Catholica Deo placere datum est.

posse salvari, aciem convertit et dirigit. ibi. *Sed notissimum quoque est*, etc.

Tres huiusmodi Pontificii decreti partes complectitur sequens dissertatio. Sed in secunda explicanda latius et praecipue versatur, quia ex ignoratione illius potissimum procedit quod inscii vel dissentientes doctrinam catholicam, quam tueri intendimus, calumniantur.

Indeque patebit quam latissime per orbem universum diffundatur fructus uberrimus vivifici illius humanae per Christum Redemptionis mysterii, quod in Virginis intemeratae visceribus hodierna die secreto initiatum, palam deinde consummatum in Cruce, iamiam proximo Passionis tempore pientissima anniversaria commemoratione culturi sumus. Etsi enim non ad omnes homines perveniant visibiles rivuli sacramentorum, sed tamen plures nos latent abditi meatus per quos ad retroactas quoque potuit aetates, uti et nunc ad longe dissitas nationes potest pertingere, innumerosque expiare et salvare Agni immaculati, qui pro omnibus occisus fuit ab origine mundi, sanguis pretiosissimus, *cuius potentia*, ut verbis utar D. THOMÆ, *sacramentis visibilibus non alligatur*[1]. Itemque patebit quam longissime a sensu christiano abhorreret angusta illa et immitis Iansenistarum theologia, quam, tota undique Ecclesia conclamante, iamdudum gladius Pontificiae auctoritatis confodit: qui nempe Christum pro omnibus hominibus mortuum esse praefracte negantes, Redemptionis beneficium et infinitum sanguinis Christi pretium ad paucissimos, quos ipsi sibi fingebant,

1 In 3, q. LXVIII, art. 2.

electos, universum fere genus humanum dirae de cetero damnationi addicentes, coarctabant; et possibilitatem Christianae Salutis ad peculiare quoddam nonnullorum privilegiariorum sodalitium veluti redigebant. Quibus merito reponitur illud AUGUSTINI: « Venit Redemptor et » dedit pretium. Fudit sanguinem suum et emit orbem » terrarum. Quaeritis quid emerit? Videte quid dederit, et » invenietis quid emerit. Sanguis Christi pretium est. » Tanti quid valet? Quid nisi totus orbis? Quid nisi omnes » gentes? Valde ingrati sunt pretio suo, aut multum su» perbi sunt, qui dicunt aut illud tam parum esse ut » solos Afros emerit, aut se tam magnos esse pro quibus » solis sit datum. Pro toto dedit, quantum dedit[1] ». *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*[2]. *Unus Mediator Dei et hominum homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus*[3]. Quapropter ad omnes pertinet illud symboli: QUI PROPTER NOS HOMINES ET PROPTER NOSTRAM SALUTEM DESCENDIT DE CAELIS; et quotquot ubique fuere vel sunt vel erunt invincibili circa sanctissimam nostram religionem ignorantia laborantes, eos quoque spectat vox illa nuntii caelestis quae in beatissima Christi nativitatis nocte intonuit[4]: *Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie* SALVATOR *qui est* CHRISTUS DOMINUS... *Gloria in altissimis*

1 Tract. CXX in Ioann. ex Brev. Rom. in festo Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C.
2 I, IOANN. II, 2.
3 I, TIMOTH. II, 5.
4 LUC. II, 10-14.

Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis, quos nempe bona voluntate complectitur misericors Deus, quum et ipsi *naturalem legem, eiusque praecepta in omnium cordibus a Deo insculpta sedulo servantes, ac Deo obedire parati, honestam rectamque vitam agentes, possint, divinae lucis et gratiae operante virtute, aeternam consequi vitam*, atque in ea una fide, et una atque unica Catholica et Romana Ecclesia censeri, extra quam salus haberi non potest: *Tenendum quippe ex fide est, extra Apostolicam Romanam Ecclesiam salvum fieri neminem posse, hanc esse unicam salutis arcam, hanc qui non fuerit ingressus, diluvio periturum; sed tamen pro certo pariter habendum est, qui verae religionis ignorantia laborent, si ea sit invincibilis, nulla ipsos obstringi huiusce rei culpa ante oculos Domini.*

Faxit Deus, ut, dum ab Oriente et Occidente multi venient, qui longe erant, et recumbent cum Abraham in regno caelorum, filii regni, et ii qui prope videbantur, haud eiiciantur foras, eo quod gratiam, qua redempti fuerant, abiecerint, reprobati.

Taurini, die XXV martii MDCCCLXVIII.

IOSEPH BURONI P. M.

DE INTOLERANTIA CATHOLICA

SEU DE SENTENTIA

« EXTRA ECCLESIAM NULLA SALUS ».

I. Proponitur difficultas.

1. Nullum aliud est dogma cui vehementius succenseant haeretici, et generatim omnes qui ab Ecclesia Catholica corpore et spiritu seiuncti sunt, quam absolutum illud et inexorabile decretum quo Ecclesia ipsa pronunciat neminem extra ipsius communionem consequi posse salutem, seu aeterne damnatos iri quotquot extra ipsius Ecclesiae sinum versantur. Hanc scilicet propositionem iniustae et immitis et prorsus intolerabilis intolerantiae insimulant, utpote quae, inquiunt, aeternae damnationi addicit quotquot extra Ecclesiam versantur, vel cunctis retro temporibus versati sunt, aut sequentibus seculis versabuntur (eos porro innumeros esse et multo plures quam ipsos catholicos compertum est), qui nullius culpae rei sunt, praeterquam quod ipsos extra Ecclesiae fines nasci sorte contigerit, vel vivere propria ipsorum persuasio impulerit; ideoque aeternam hominis salutem et felicitatem externis et plerumque fortuitis conditionibus committit, quae nequaquam ab hominum voluntate et electione

dependent, sed fatali quadam Dei praedestinatione determinantur; voluntariam autem virtutem, qua homo bene et honeste vivere studet, nihili facit. Iam vero, inquiunt oppositores, *An* catholicorum *Deus tantum? Nonne et gentium? Immo et gentium*[1].

II. Propositæ difficultatis solutio.

2. In hac porro obiectione, quae, ut patet, plurimam habet similitudinem cum illa, quam in Pentateuchi tractatione de *particularismo iudaico,* quem dicunt, peregimus[2], plura falsa, ut solent, cum veris commiscent adversarii, ut facilius fucum faciant incautis, et odium ac invidiam pariant veritati. Confundunt enim eos qui *inculpabiliter* cum iis qui *culpabiliter* extra Ecclesiam detinentur; item non distinguunt inter *corporalem* communionem quae habetur cum Ecclesia *exteriori*, et communionem *spiritualem* qua quis, extra fines Ecclesiae visibilis constitutus, ad Ecclesiae *spiritum interiorem* pertinere nihilominus potest; et tandem maximum discrimen quod interest inter *iudicialem* alicuius culpabilis ad poenam *condemnationem*, quae in insontem iuste ferri non potest, et *merum infortunium*, cui subsunt quandoque etiam innocentes, aut ignorant aut affectant ignorare. Quapropter ad eam difficultatem enodandam nil magis praestat quam, debitis huiusmodi peractis distinctionibus, genuinum catholicae illius sententiae de qua agimus sensum definire, ut pateat nihil in ea esse quod vel rectae rationi, vel divinae iustitiae aut bonitati repugnet.

3. Advertendum est autem quod in hoc proposito prosequendo prae oculis habere oportet id tantummodo quod de

1 Rom. III, 29.

2 Vide Appendicem *A, Del Preteso particolarismo del Pentateuco,* ad calcem huius dissertationis.

essentia est dogmatis catholici, nulla ratione habita diversarum quae inter theologos vigent in hac re opinionum, non enim ipsarum causa agitur, sed fidei communis. Ideoque possumus in ista tractatione ad extremos usque limites libertatis theologicae ab Ecclesia permissae rigorem dogmatis de quo agitur attenuare, quin tamen inde sequatur tam late extendi nostram de salute illorum hominum, qui extra Ecclesiam visibilem degunt, sententiam. Hìc enim, ut dixi, agitur tantummodo de definiendo quid absolute in hac re Ecclesia pro dogmate teneat, eoque adversus incredulos defendendo; de maiori autem vel minori opinionum theologicarum probabilitate nil impraesentiarum decernere volumus, nam alterius instituti est id definire. Quam secernendi accurate ea quae sunt Ecclesiae ab iis quae sunt theologorum regulam, quando res agitur Fidei contra dissentientes, sapienter tradidit Franciscus Veronius in sua *Regula Fidei*[1], et praestitit illustris Bossuet in aureo opusculo cui titulus: *Exposition de la doctrine de l'Église catholique sur les matières de controverse.* Ea solum in hoc loco habenda est ratio opinionum theologicarum ut non damnentur, sed, si qua opinio nimis dura fortasse videatur, sufficit dicere quod illa non pertinet necessario ad essentiam dogmatis catholici; et haec positio negativa satis est ad propositum dogmatis defendendi adversus heterodoxos, quin ulterius pronuncies illam opinionem esse erroneam, vel rationi aut divinis attributis repugnare.

4. Ceterum ex ipsa huius tractationis obiecti propositione satis constat nil prorsus hìc agi de intolerantia politica vel civili, sed tantum de intolerantia dogmatica vel doctrinali quae continetur in sententia « Extra Ecclesiam nulla salus ».

Quibus praemissis, sequenti ordine procedemus.

1 *Regula fidei, sive secretio eorum quae sunt de fide catholica ab iis quae non sunt de fide.* Parisiis, 1644. Eodem spiritu conscripta postea fuit a P. Philippo Nerio Chrisman. *Regula fidei catolicae, et collectio dogmatum credendorum.* Campidonae, 1792.

§ 1. Ius aliquod legitimae intolerantiae doctrinalis generatim stabilitur.

5. Et 1°, non est cur tantopere debacchentur heterodoxi in Ecclesiae catholicae intolerantiam, dum ista profitetur neminem ab ipsa aberrantem consequi posse salutem. Etenim aliqua huiusmodi intolerantia est cuicumque legi et doctrinae necessario inhaerens. Lex, quae nullam necessitatem induceret, lex non esset, et doctrina, quae ceteras sibi adversantes opiniones pateretur, non esset doctrina: sed ex hoc quod aliqua doctrina asseritur ut vera, sequitur quamcumque opinionem ipsi contrariam damnari ut erroneam; et ex hoc ipso quod ad aliquem finem lex ordinata fuit (est enim lex quaelibet quaedam ratio agendorum in ordine ad aliquem finem) sequitur non posse, lege neglecta, finem ipsum acquiri. Quin immo etiam in rebus geometricis et materialibus huiusmodi intolerantiae speciem videre est; nam linea recta ad duo puncta perducta ceteras ad eadem puncta perductas lineas, inflexibili prorsus intolerantia, damnat pravitatis: et si ad aliquem terminum unica via strata sit, sequitur nonnisi per eam, saltem commode, posse ad terminum pertingi. « Ego sum via, veritas et vita », inquit Christus, ideoque: « Nemo venit ad Patrem nisi per me »[1]: si huius enthymematis antecedens verum sit, quis unquam iuste poterit intolerantiam quae in consequenti asseritur illegitimitatis arguere? Quippe certo sine via non itur, et sine veritate non cognoscitur, et sine vita non vivitur. Pariter ergo si aliqua religio sit ipsa divinitus constituta hominis communicatio cum Deo ad salutem consequendam et ad bona divina participanda, sequitur quod nulla cum Deo talis communicatio, et salus, et divinorum participatio extra illam religionem haberi possit.

1 IOANN. XIV, 6.

6. Unde sequitur 2°, omnino iniuste et irrationabiliter hanc intolerantiae accusationem contra solam Ecclesiam Catholicam ferri, cum cuicumque pariter religioni, quae aliquid certi et positivi et definiti profiteatur, sit communis. Et revera eo ipso modo et iure quo Ecclesia Catholica, ex hoc quod se noscit esse viam divinitus dispositam hominibus ad salutem consequendam, profitetur nullam salutem huiusmodi extra ipsam haberi posse, etiam protestantes, si adhuc christiani sint, docere debent non esse viam homini ad salutem extra Iesum Christum, qui unicus est omnium hominum Salvator: « Et non est in alio aliqua salus; nec enim aliud nomen est » sub caelo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri[1]». Quinimmo et ipsi deistae, si aliquid dicunt, admittere debent nullam prorsus superesse homini salutem extra veri numinis cognitionem et cultum, vel extra eam quam ipsi vocant religionem naturalem. Quaestio quidem erit inter catholicos, protestantes et deistas in definiendo et stabiliendo principio « quaenam sit vera religio », sed, hoc principio semel posito ac definito, omnes pariter intolerantes erunt quoad consequentiam. Nullam autem prorsus velle huiusmodi intolerantiam profiteri, idem est ac nullam prorsus velle profiteri religionem et veritatem, seu se atheum et scepticum exhibere. Quod si sola Ecclesia Catholica prae ceteris sectis intolerantiam huiusmodi altius proclamat, et acrius tenet ac defendit, ex hoc ipso demonstrat se solam prae ceteris firmam gerere de veritate persuasionem; quapropter sola vera probatur ex hoc ipso, quod sola prae ceteris gloriosam hanc intolerantiae dogmaticae notam meretur.

7. Sed 3°, haec quidem intolerantia catholica, quemadmodum omnino legitima est et innocua et ab omni iniustae violentiae accusatione immunis, est enim mera veritatis assertio dogmatica adversus errantes, et aeternae ac immutabilis legis alta

1 *Act. Ap.*, IV, 12.

proclamatio adversus refractarios, ita etiam est unice efficax et salutaris ad unitatem hominum promovendam, eosque in unitate continendos absque ulla externae coactionis in corpora adhibitione, et ideo optime quoque cum tolerantia civili, quando haec vel utilis vel necessaria reputatur, componi potest. E contra adversarii, qui intolerantiam hanc vere legitimam et pacificam ac solas intus conscientias percellentem vituperantur, aliam prorsus vere tyrannicam et cruentam, quae violenter exercetur in corpora, introducere coguntur: religionem enim cum statu civili confundentes, et articulos fidei in leges politicas confingentes, exilia et carnificinas adhibere, pro iis tuendis, confirmandisque, valde commendant et necessarium putant[1].

§ 2. **Intolerantiae quam Ecclesia profitetur sensus definitur et defenditur.**

8. Non igitur statim intolerantia Ecclesiae, ex hoc solum titulo quod intolerantia sit, est reprehendenda, quandoquidem, ut vidimus, aliqua etiam datur intolerantia omnino iusta et vera et legitima; sed potius oportet examinare, utrum fortasse talem Ecclesia intolerantiam doceat, quae iustos limites excedat, et ex hoc capite reprehensibilis sit. Quod iudicium ut feratur, genuinus Ecclesiae sensus inquirendus est.

Porro duplex sensus distingui potest et debet illius sententiae, extra Ecclesiam non dari salutem, prout duplex in illa asseritur vel asserta intelligitur necessitas pertinendi ad Ecclesiam; altera nempe quae dicitur *necessitas praecepti,* altera quae *necessitas medii* nuncupatur: et duplex pariter datur modus pertinendi ad Ecclesiam, prout duplex Ecclesiae communio distinguitur; alia nempe *exterior et corporalis,* alia *interior et spiritualis.* Sub utroque igitur respectu di-

1 V. ROUSSEAU, *Contract social,* l. IV, chap. VIII.

cimus Ecclesiae sensum, si genuine qualis est accipiatur, non autem sicuti adversarii solent accipere, qui illum sophistice et calumniose adulterant ut facilius inde vituperent, prorsus esse irreprehensibilem.

9. Et primo, quod spectat ad necessitatem praecepti, admittimus quidem hanc obligare quemlibet, qui illius necessitatis conscius sit, ipsumque cogere, sub aeternae vitae discrimine, ad fidem ac religionem christianam exterius et explicite profitendam, et ad Ecclesiae catholicae communionem exteriorem, saltem quoad animi votum, et, quantum pro circumstantiis fieri potest, etiam quoad effectum, amplectendam; ideoque quemlibet qui culpabiliter huic obligationi reluctatur, quousque reluctatur, extra viam salutis esse: at vero ista irrefragabilis obligatio vel necessitas, ut patet, nequaquam infideles *negativos*, quos vocant, perstringit, sed eos tantummodo qui Evangelium audivere, et Ecclesiam Christi cognoscunt, nec tamen ingrediuntur, qui infideles *positivi* nuncupantur; quibus ideo verba Christi Domini conveniunt: « Si non venissem et locutus fuissem eis, peccatum non » haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato » suo »; et iterum: « Si opera non fecissem in eis, quae nemo » alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem et vide» runt et oderunt et me et Patrem meum[1] ». Haec autem necessitas praecepti, et consequens intolerantia, omnino iusta est et legitima, et cuicumque legi et doctrinae inhaerens, ut supra dictum est n. 5; nec ullimode locum habent ea quae in obiectione adversariorum confusim agglomerantur n. 1, nempe: « iuxta catholicam sententiam aeternae damnationi addici innumeros qui nullius culpae rei sunt, praeterquam quod ipsos extra Ecclesiae fines nasci contigerit, vel vivere propria ipsorum persuasio (si de persuasione invincibiliter erronea sermo sit) induxerit, ideoque aeternam

1 IOANN., XV, 22, 24.

hominis salutem externis et plerumque fortuitis conditionibus committi quae nequaquam ab hominum voluntate et electione dependent »: etenim omnes isti, de quibus obiectio loquitur, ne minimum quidem a sententia *extra Ecclesiam nulla salus*, hoc primo sensu necessitatis praecepti explicata, percelluntur. Porro hic solus est primus et directus sensus sententiae de qua agimus, nam primitus contra haereticos et eos qui rebelles sunt veritati prolata fuit, qui in plena luce catholicitatis voluntarie obcaecantur, ideoque ipsis intimatur quod scienter et contumaciter extra Ecclesiam stantibus et veritati cognitae resistentibus nulla erit salus a Deo vel a Christo [1]: « Quisquis enim, inquit AUGUSTINUS [2], a catholica » Ecclesia fuerit segregatus, quantumlibet laudabiliter se » vivere existimet, *hoc solo scelere* (vide hìc agi de cul- » pabili separatione quae *scelus* vocatur) quod a Christi u- » nitate disiunctus est, non habet vitam, sed ira Dei manet » super eum » [3].

10. Restat igitur, quod totum difficultatis pondus convertatur adversus eam intolerantiae catholicae partem, quae docet Ecclesiae communionem necessariam esse de *necessitate medii* ad salutem: haec enim necessitas medii nuncupata ipsos etiam infideles negativos et inculpabiles percellit, scilicet

1 Probationes vide apud PERRONE *Praelect. teolog.*, t. I, de verâ religione adv. heterodoxos, prop. XI et XII.

2 Epist. CXLI, *als.* CLII, n. V.

3 Huc, uti patet, referuntur potissimum illa Pontificii decreti verba ex Encyclica *Quanto conficiamur* « Sed notissimum quoque est catholicum dogma, neminem scilicet extra catholicam Ecclesiam posse salvari, et contumaces adversus eiusdem Ecclesiae auctoritatem, definitiones, et ab ipsius Ecclesiae unitate, atque a Petri successore Romano Pontifice pertinaciter divisos, aeternam non posse obtinere salutem »*:* Et iterum ex Allocutione *Singulari quadam:* « Tenendum quippe ex fide est extra Apostolicam Romanam Ecclesiam salvum fieri neminem posse, hanc esse unicam salutis arcam, hanc qui non fuerit ingressus diluvio periturum ».

omnes qui a Christi et Ecclesiae communione, quamvis inculpabiliter, seiuncti sunt: quapropter manifestum est, inquiunt adversarii, iuxta catholicam illam sententiam « extra Ecclesiam nulla salus », ad aeternam mortem condemnari plures qui absque ulla propria ipsorum culpa in infidelitate versantur, eosque innumeros esse, quotquot scilicet extra Ecclesiae fines nasci, educari et vivere fortuita sorte vel invincibili persuasione contigerit, quod iniquae prorsus et immitis intolerantiae decretum est.

11. At vero, ad hosce etiam terminos reducta, adversariorum difficultas adhuc aequivocationibus ludit, quae si debitis distinctionibus dissolvantur, tota vis corruit obiectionis. Nam ex una parte falsum est in sententia catholica *ad ullam poenam condemnari* infideles simpliciter negativos et inculpabiles, quamvis fortasse *pereant*, quia a suis miseriis, a quibus sola Christi gratia liberat, non liberantur; et ex alia parte falsum est hanc medii necessitatem valere de communione exteriori cum Ecclesia, dum valet tantummodo de aliqua communione spirituali cum Christo, quae etiam extra Ecclesiam visibilem participatur. Rem totam duabus sequentibus propositionibus conficiemus.

PROPOSITIO PRIMA.

Sensus Ecclesiae non est ad ullam poenam iudicio positivo condemnari *quemlibet qui culpae voluntariae reus non sit sed sola infidelitate negativa laboret; quamvis doceat* perire quotquot a perditione per Christum non liberantur; *et iste Ecclesiae sensus omnino irreprehensibilis est.*

12. Prima et altera huius propositionis partes satis constant ex manifestis Ecclesiae documentis, quae nunquam docuit iudicium aliquod damnationis proferri adversus eos qui inculpabiliter extra Ecclesiam versantur, adeo ut illi de hoc ipso culpentur quod inculpabiliter ignorarunt, sed immo con-

trarium docet, neminem scilicet de ipsa infidelitate negativa et invincibili fore culpandum, aut damnationem mereri ex eo quod necessario quis facit vel patitur[1]: ad divinum autem iudicium « referet unusquisque propria corporis prout gessit sive bonum sive malum[2] »; et iustus iudex « reddet unicuique secundum opera eius[3] »; et « quicumque in lege peccaverunt, per legem iudicabuntur, quicumque autem sine lege peccaverunt, sine lege peribunt[4] »: scilicet qui sine lege peccaverunt, non per eam ipsam legem, quam ignoraverunt, neque per Moysem neque per Christum iudicabuntur aut condemnabuntur; sed vel per solam legem naturalem, quam cognoverunt et in quam peccaverunt, iudicio positivo redarguentur, vel, si omnino absque ullius legis cognitione et voluntaria infractione in aliquo tamen peccato haereditario, a quo sola gratia Redemptoris liberat, detenti fuerint, sine lege *peribunt* propter illud a quo misere detinentur peccatum et liberati non sunt.

13. Et inde tertia etiam pars propositionis facile probatur, scilicet quod huiusmodi Ecclesiae sensus omnino irreprehensibilis sit, et certe ab omni iniustitiae nota immunis. Etenim si morbo aliquo labores a quo unus tantum medicus et una medicina valeat liberare, nonne, si a medico longius absis, et, quantumvis inculpabiliter, careas medicina, a morbo non liberaberis? Pari itaque ratione si verum sit (de quo nunc non disputamus) homines nativo aliquo et haereditario morbo

1 Huc spectant ea ex Allocutione *Singulari quadam*: «... Sed tamen pro certo pariter habendum est, qui verae religionis ignorantia laborant, si ea sit invincibilis, nulla ipsos obstringi huiusce rei culpa ante oculos Domini »; et iterum, ex Encyclica *Quanto conficiamur*: « Cum Deus, qui omnium mentes, animos, cogitationes, habitusque intuetur, scrutatur et noscit, pro summa sua bonitate et clementia minime patiatur quempiam aeternis puniri suppliciis, qui voluntariae culpae reatum non habeat ».

2 II *Cor*. V, 10.

3 *Rom*. II, 6.

4 *Rom*. II, 12.

morali laborare, a quo solus Christus sanare potest et venit, ex ipso morbo peribunt quotquot per medicum non sanantur, etiamsi inculpabiliter non sanentur. Non autem peribunt veluti de hoc condemnati quod medicum ignoraverint, sed ex morbo peribunt a quo correpti fuerant et liberati non sunt: medicus autem, et de iis qui per ipsum salvantur summopere laudandus erit, et de iis qui sine ipso pereunt minime culpandus. Paucis: ex dogmate necessitatis Christi redemptionis et cum Christi Ecclesia communionis non nova aliqua damnatio superinducitur super eos qui inculpabiliter de illa non participant, sed in ea conditione in qua nati sunt, idest in haereditaria damnatione et nativa miseria relinquuntur. Quo posito, ubinam est iniustitiae aut iniustae intolerantiae accusationi locus? Ad summum *partialitatem* beneficii, quod non omnibus datur, insimulare quis poterit, de quo postea dicemus; sed quantum ad *iniustitiam* spectat, ne minima quidem ipsius species apparet. Nonne ex intima rerum conditione et necessitate contingit ut beneficio careant educationis et civilitatis quotquot extra educationem et civilitatem quamvis inculpabiliter vivunt et adolescunt? et usitatissimum est in rebus humanis ac rationi conforme, quod nemo societatis, aut civitatis, aut regni bona et privilegia participet, qui, quamvis inculpabiliter, illius exsors sit communionis? Sic igitur nullimode iniquum est, sed ex intima rerum conditione provenit, quod bona Ecclesiae non participet, ex. g. ipsius educationem et sacramenta, qui, quamvis inculpabiliter, extra Ecclesiae communionem positus est, et quod beneficio careant redemptionis, qui extra redemptionis influxum quomodocumque versantur.

14. Dices autem hanc ipsam immitem esse doctrinam, quae pronunciat omnes homines, antequam libertatis et electionis compotes sint, culpa quadam originali et haereditaria illigatos esse, ex eaque damnandos, nisi gratuite liberentur, quamvis inculpabiliter non liberentur.

At vero huic obiectioni repono sequentia:

1° Non veluti immitem traducendam esse doctrinam, quae veritatem aliquam, quantumvis homini duram ac displicentem, annuntiat, dummodo reipsa sit vera; quemadmodum non immitis est medicus qui aegroto gravitatem morbi manifestat, aut amicus qui sine assentatione amico exprobrat defectus ipsius. Si itaque verum sit homines noxa quadam haereditaria illigari, ob eamque miseriae et damnationi obnoxios esse, nisi per Christum liberentur, laudanda est potius quam vituperanda christiana religio quae tam profundum humanae pravitatis arcanum explicat, et homini tradit tam necessariam sui ipsius cognitionem, nec non a suis miseriis in Christo redemptionem. Utrum autem id verum sit, nec ne, altera quaestio est, quae ad praesens non attinet institutum, sed in proprio de culpa originali tractatu expenditur.

2° Sed ut aliquid de ipsa doctrinae veritate attingam, ipsi rationalistae, velint nolint, praesentem hominis miseriam in qua nascitur, ipsiusque a fine suae moralis perfectionis aberrationem, et pudendam, in qua plurimae nationes prolapsae sunt et diu vixerunt, depravationem recognoscere et fateri coguntur. Iam vero, quomodo ipsi poterunt hanc facti veritatem cum divinae providentiae notione, sub qua, ut ait Augustinus, nemo miser esse potest nisi peccator, et cum sapientissimi Creatoris idea componere, qui rationali creaturae media sufficientia ad finem suum naturalem consequendum utique debuit providere, quibus tamen mediis caruisse humanum genus per tot secula reperitur? Cum e contra doctrina catholica, quae profundum reitatis haereditariae arcanum in genere humano deprehendit, quid aliud facit quam valde probabilem huius miseriae et pravitatis, quae ipsis oculis cernitur, afferre rationem? Nec enim ipsa humanam miseriam et pravitatem creat, aut maiorem fingit quam quae oculis videatur, sed illius quae apparet, quaeque ne ab ipsis quidem rationalistis negari potest, profundam exhibere contendit explica-

tionem, quae, praeterquam quod vera est et divinitus revelata, hoc etiam misso, adhuc tamen optima et unica reperiretur esse hypothesis cogitabilis ad rationabiliter explicandum aenigma humanae miseriae, et integram simul servandam notionem divinae iustitiae, sapientiae et providentiae. Et certe multo rationabilior semper videbitur esse doctrina christiana, quae *miseriae* praesupponit *reitatem*, quam doctrina philosophica, quae, *culpam* negans, *miseriam* autem negare non valens, istam a Deo vel impotente, vel insipiente, vel iniusto et humanae felicitatis invido repetere cogitur: quo nil absurdius et scelestius cogitari potest.

3° Praeterea non est exaggeranda aut adulteranda doctrina christiana de peccato originali, et de poena ipsi respondente, sed in sua genuina puritate accipienda. Etenim primo, quod ad ipsum peccatum, non est putandum iuxta doctrinam catholicam ex divinae voluntatis arbitrio processisse quod omnes Adae posteri eadem ipsius culpa illigati nascantur, et proinde obnoxii damnationi, sed id sequitur ex fatali naturae et generationis necessitate, sicut quod filii contrahant aliquando defectus physicos, quibus eorum patres, fortasse voluntario, suam in se ipsis naturam vitiaverunt; secundo autem, quod ad poenam quae peccato originali respondet, non docet christiana fides homines fore de ipso peccato positive iudicandos et condemnandos, ac positiva poena et damnatione propter illud mulctandos; sed poena et damnatio, cui homo subiacet ob originale peccatum, est naturalis consecutio conditionis depravatae in qua nascitur, et privatio status supernaturalis ad quem ius nullum habet. Quibus positis ne vestigium quidem apparet immisericordiae.

4° Tandem quomodo immitis dicetur doctrina, vere potius mitissima et benigna, quae sicuti causam aperit cur Filius Dei propter nos homines et propter nostram salutem descendit de caelis ut quaereret et salvum faceret quod perierat, ita Ecclesiae, ipsiusque Apostolatus charitatem uni-

versalem inflammat ad preces fundendas, labores tolerandos, innumera pericula obeunda pro hominum salute, ut ad veritatem et bonam vitam convertantur, quippe scit *hoc bonum et acceptum esse coram Salvatore nostro Deo, qui vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire:* sicut enim *unus est Deus* et Pater omnium amantissimus, ita *unus est Mediator Dei et hominum Homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus*[1]? Num in hisce aliqua *immisericordiae* aut *iniustitiae*, seu iniusti erga quosdam favoris, et erga alios exclusionis et odii species est? aut culpanda doctrina, quae nativam hominis miseriam, non quidem ipsa producit, sed recognoscit et manifestat, ut salutare remedium apponat, malorum non ipsa autrix, sed tantummodo reparatrix?

15. Cum itaque nullimode verum sit eam medii necessitatem, quam docet Ecclesia, pertinendi ad Christi et Ecclesiae communionem, iniustam aliquam condemnationem ferre adversus infideles mere inculpabiles et negativos, quia, ad summum, isti, ut vidimus, relinquuntur in conditione sua, ideoque ex hac parte sensus Ecclesiae omnino irreprehensibilis sit, et nequaquam iniustitiae accusandus; restat videndum, an saltem subiaceat accusationi irrationabilis erga quosdam favoris, vel, ut aiunt, *partialitatis* et *particularismi*, dum tam necessarium redemptionis beneficium non omnibus hominibus concedi docet, sed (inquiunt adversarii) illud quibusdam circumstantiis exterioribus et fortuitis ita alligat, ut ab ipso exclusi maneant innumeri, quos extra fines Ecclesiae nasci, vel sorte, vel fatali Dei praedestinatione contigerit, nulla ratione habita virtutis et bonae hominum voluntatis.

16. Antequam vero novum hunc et postremum difficultatis adspectum adoriamur, non abs re erit advertere, ea, quae hucusque tractata fuerunt, absolute loquendo, abunde suf-

[1] [illegible] . II, 1-6.

ficere ad iniustae intolerantiae notam a doctrina christiana depellendam, et adversariorum difficultatem dissolvendam. Nam, etiamsi verum foret illud quod nunc in obiectione subsumunt adversarii, nempe in doctrina catholica admitti quemdam specialem Dei favorem erga eos qui a nativa damnatione liberantur prae iis qui non liberantur, quid inde exprobrare poterunt, cum agatur de gratuita omnino misericordia, quam Deus nemini debet, sed, quibus vult, ultro et liberaliter concedit? « O homo, tu quis es qui respondeas » Deo?[1] » « aut quis dicet tibi, Deus, quid fecisti ?... aut » quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti?[2] »: « Amice, non facio tibi iniuriam », inquit magnus paterfamilias qui universum gubernat, « tolle quod tuum est, et » vade : aut non licet mihi quod volo facere? an oculus tuus » nequam est, quia ego bonus sum?[3] »: « Moysi enim dicit: » Miserebor cuius misereor, et misericordiam praestabo » cuius miserebor. Igitur non volentis neque currentis sed » miserentis est Dei[4] »: « Vide ergo bonitatem et severi» tatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt (*vel* pereunt) » severitatem; in te autem bonitatem Dei, si permanseris » in bonitate, alioquin et tu excidêris[5] ».

17. Attamen quia reipsa doctrina christiana a rudi illo et illiberali particularismo, qualis in obiectione obtenditur, alienissima est, ut omnem illius speciem ab ipsa depellamus, et vituperationem in laudem convertentes, a nota iniustae intolerantiae et exclusivitatis depellenda, ad infinitae benignitatis et misericordiae indolem, quae in christiana doctrina est, commendandam transeamus, sequentem addimus propositionem, cuius scopus est demonstrare quod, iuxta sensum

1 *Rom.*, IX, 20.
2 *Sap.* XII, 12.
3 MATH., XX, 13-15.
4 *Rom.*, IX, 15, 16.
5 *Rom.*, XI, 22.

Ecclesiae, neque corporalis coniunctio cum Ecclesia visibili, neque ulla exterior conditio, quae fortuitis casibus subiaceat, necessaria est de absoluta, ita quod aliter suppleri non possit, necessitate medii ad beneficium redemptionis participandum et animae salutem consequendam; sed ii quoque qui extra Ecclesiam corporalem versantur, dummodo inculpabiliter, possunt, si bonae sint voluntatis, non quidem ex propria virtutis aut bonae voluntatis merito, quod nemo absolute apud Deum ad dona omnino gratuita praetendere unquam potest, sed ex divina misericordia et liberalitate, quae dives est in omnes qui invocant illam, nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti et salvos fieri per Iesum Christum, gratiam recipere redemptionis et salutis. — Sit igitur

PROPOSITIO SECUNDA.

Sensus Ecclesiae non est perire quotquot extra Ecclesiam visibilem vel extra sacramenta redemptionis visibilia inculpabiliter degunt; quin immo, ipsos adhuc posse ad Ecclesiae spiritum pertinere, et redemptionis influxum participare, et salutem consequi, certum est [1].

18. Re enim vera, haec duo diligenter distinguenda sunt quae adversarii confundunt, et quae aliquando quidam etiam parum edocti catholici non satis accurate distinguunt: nempe, aliud est pronunciare generatim extra Ecclesiam et extra redemptionis Christi participationem non posse haberi salutem, et aliud est postea definire quinam censendi sint esse extra eam Ecclesiae communionem et extra eam redemptionis participationem sine qua salus haberi non potest. Porro, quantum

1 Huc spectant ea ex Encyclica *Quanto conficiamur*: « Notum nobis, vobisque est, eos qui invincibili circa sanctissimam nostram religionem ignorantia laborant... posse divinae lucis et gratiae operante virtute aeternam consequi vitam ».

in priori sententia pronuncianda rigidior est et prorsus inflexibilis doctrina catholica, etenim absolute sine Salvatore Christo nemo salvatur; tantum in secunda quaestione definienda mitior est, et liberalissima reperitur, utpote quae unicam sui normam recognoscit amplitudinem divinae misericordiae, quae in infinitum extenditur, *dives in omnes qui invocant illam, absque ulla distinctione Iudaei vel Graeci* [1]. Nam *spiritus* Ecclesiae latius patet, et multo plures complectitur, quam *corpus* ipsius; et redemptionis influxus latius diffunditur quam visibilis sacramentorum ipsius participatio; ideoque quamplurimi, qui extra Ecclesiam sunt *corporaliter*, ad ipsam pertinent *spiritualiter*, et sunt in via salutis; et quamplurimi fructum redemptionis percipiunt *interius*, qui ipsius sacramenta visibilia *exterius* non participant. Quod si igitur demonstrabimus *ab ista Ecclesia invisibili et populo Dei spirituali*, et ab hac *interiori redemptionis participatione* neminem excludi, qui bonae sit voluntatis, omnis prorsus rudis *particularismi* vel exclusivi favoris vituperatio ab Ecclesiae catholicae doctrina plenissime depelletur.

19. Ut autem id pateat, adhibita distinctione superius facta duplicis necessitatis tum praecepti tum medii (n. 8), considerandum est quod ad corpus Ecclesiae aggregari, et baptismum aquae (idemque dicas de aliis exterioribus redemptionis sacramentis) recipere, est quidem omnibus necessarium ea praecepti necessitate quae obligat scientes et rem praeceptam praestare valentes, quaeque eo solum titulo necessitas medii nuncupatur, quia scientibus et valentibus unicum medium imponit prorsus indispensabile ad iustitiam et salutem (et in hoc differt nova a veteri oeconomia, quod tunc non erat necessarium iis qui nati essent ex gentibus, ne praecepti quidem necessitate, ut circumciderentur, et cultum Mosaicum profiterentur, et populo Dei exterius adscriberen-

1 *Rom.*, x, 12.

tur, dummodo verum Deum colerent in spiritu, sed solis Iudaeis id erat necessarium; nunc autem omnibus omnino hominibus, qui id noscant et praestare valeant, necessarium est indispensabili praecepti necessitate baptismum in re recipere, et populo christianorum, id est Ecclesiae, etiam *exterius incorporari*); sed nequaquam id est necessarium ea absoluta et insupplebili medii necessitate stricte dicta, quae nescientes quoque percellat. Quin immo generalis omnino haec regula statui potest, quod *nihil externum in religione, et* (saltem si de adultis loquamur) *ne ipsum quidem sacramentum baptismatis necessarium sit tali necessitate medii ad salutem, quae gratia Dei interiori et bona animi voluntate suppleri non possit.* Quod si aliquando dicitur, sacramentum baptismi necessarium esse absoluta medii necessitate, iuxta verbum Domini « nisi quis renatus fuerit ex aqua et » Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei[1] », id (praeter sensum paulo ante definitum, quatenus est talis praecepti necessitas quae scientibus et valentibus *unicum* imponit *medium* prorsus indispensabile) vel est intelligendum de absoluta baptismatis necessitate, ut aliquis in regnum Dei visibile introeat, quod est Ecclesia exterior, et fiat concivis ipsius, et cetera visibilia sacramenta valide recipiat, secundum quod dicitur baptisma esse ianuam Ecclesiae et sacramentorum; vel est intelligendum non de ipso baptismate exteriori et phaenomenico aquae, sed de baptismate interiori spiritus, quod est animae mundatio a peccato et hominis in Christum regeneratio, secundum quod ipse Dominus in loco citato antea dixerat: « Nisi quis renatus fuerit denuo non potest » videre regnum Dei[2] »: et iterum: « Quod natum est ex » carne caro est, et quod natum est ex spiritu spiritus est... » Spiritus ubi vult spirat... sic est omnis qui natus est ex

1 IOANN., III, 5.
2 Ibid. III, 3.

» spiritu[1] »; etenim certissimum alioquin est in doctrina catholica, baptisma *spiritus*, vel, ut dicitur, *flaminis* et desiderii vel voti, sufficere ad salutem, ubi baptisma *aquae* vel *fluminis* absque culpabili neglectu non recipitur. Atqui, si neque Ecclesiae exteriori incorporatio, neque ulla generatim exterior conditio, qua homo involuntarie carere potest, necessaria est necessitate medii ad salutem, sed absoluta medii necessitas in solis conditionibus interioribus consistit, quae omnibus ubique degentibus praesto esse possunt, sequitur manifeste, quod etiam extra Ecclesiam visibilem positi homines bonae voluntatis possunt ad Ecclesiam spiritaliter pertinere, et redemptionis fructum participare, et aeternam consequi salutem. Quapropter nulla huiusmodi rudis *exclusivitatis* et *particularismi* accusatio in doctrinam catholicam cadere potest. Et certe, quemadmodum veteri stante oeconomia plures inter gentes iusti reperiebantur, uti Iob, Melchisedech, Iethro, aliique perplures, qui ad *spiritualem Israelem Dei* pertinebant, quamvis ab *exterioris Israelis* fuerint consortio separati; ita et in nova oeconomia pastor bonus Christus alias oves habet quae exterius non sunt ex hoc ovili, quas ipse cognoscit, et ipse cognoscitur ab eis[2]; et plures Zachaei, filii Abrahae secundum fidem, in gentibus ambulant, qui oculis carnis non apparent, sed certe vivunt in conspectu Dei viventis[3]; et plures sunt filii Dei dispersi in universo mundo, pro quibus, quin et pro omnibus omnino hominibus, Christus mortuus est, quamvis non adhuc congregati in unum[4].

20. Qua in re non satis attente considerant quidam aliquando catholici, qui, necessitatem externarum catholicismi conditionum nimium exaggerantes, statim ac audiunt aliquem extra visibilem Ecclesiae communionem, vel apud haereticos,

1 Ioann. iii, 6, 8.
2 Ibid., x, 11.
3 Luc., xix, 9.
4 Ioann., xi, 52.

vel inter schismaticos, vel in gentilibus ex vita cessisse, statim iudicant illum in aeternum periisse, iudicium quod soli Deo competit parum caute et modeste sibi arrogantes: *Homo enim videt ea quae parent*, ideoque iudicare potest quinam ad exteriorem Ecclesiam pertineant, nec ne; sed quinam pertineant ad Ecclesiam interiorem, aut ab ea exclusi sint, certo iudicio ipse iudicare non potest, quia *solus Deus intuetur cor*[1]. Non sic autem se gerit Ecclesia vere catholica, idest universalis charitatis et misericordiae, divinae gratiae et bonitatis interpres ac ministra, quae nunquam in concreto et particulari iudicat aliquem esse extra divinam societatem et communionem interiorem sanctorum, quamvis ille sit extra visibilem communionem populi Dei[2]; immo ne de rebellibus quidem et contumacibus, quos ipsa per excommunicationis sententiam a sua exteriori communione expulerit, huiusmodi interius iudicium profert, sed soli Deo committit; sciens se quidem ad *ius* proclamandum positam esse, sed iudicium *facti*, quantum spectat ad interiorem conscientiae reatum, Deum sibi soli reservasse. Quapropter, quamvis illius, qui in statu excommunicationis e vita cessit, cadaver a suis sanctificatis coemeteriis excludat, et illud aqua lustrali non expiet, et super illud exequias pietatis et suffragia publica non effundat, quia extra visibilem sui communionem decessit; id tamen non impedit quominus anima

1 I *Reg*. XVI, 7.

2 Huc pertinent ea ex Allocutione *Singulari quadam*: « Nunc vero » quis tantum sibi arroget, ut huiusmodi ignorantiae (inculpabilis) desi- » gnare limites queat iuxta populorum, regionum, ingeniorum, alia- » rumque rerum tam multarum rationem et varietatem? Enimvero cum » soluti corporeis hisce vinculis videbimus Deum sicuti est, intelligemus » profecto quam arcto, pulchroque nexu miseratio ac iustitia divina co- » pulentur; quandiu vero in terris versamur, mortali hac gravati mole » quae hebetat animam, firmissime teneamus ex catholica doctrina unum » Deum esse, unam fidem, unum baptisma, ulterius inquirendo progredi » nefas est ».

illius sub alis divinae misericordiae se se fortasse receperit, ideoque participet etiam de interiori communione precum Ecclesiae, quae pro omnibus christifidelibus generatim funduntur; nec unquam Ecclesia iudicat animam alicuius esse aeterne damnatam. Quod si quaeras ab ipsa huius tantae iudicii parsimoniae et cautelae rationem, reponet, inquit P. Ravignan: « Qualunque sia stata la patria, la religione, ed anche la « vita di un uomo, accadono nell'anima sua, posta sulle « soglie dell'eternità, misterî divini che non è conceduto ad « occhio terrestre di investigare, e molto meno di conoscere: « misterî certamente di giustizia, ma eziandio misterî di mi- « sericordia e di amore [1] ».

21. Quibus generalibus principiis praestitutis, iam nunc possumus ad quasdam etiam particulares resolutiones devenire de maiori vel minori possibilitate aut probabilitate salutis illorum qui extra Ecclesiae catholicae visibilem communionem inculpabiliter degunt, aliquid ex ordine dicentes, 1° de catechumenis qui ante baptismum susceptum, et de excommunicatis qui ante Ecclesiae reconciliationem decedunt; 2° de iis qui in ecclesia schismatica educati sunt; 3° de iis qui bona fide inter haereticos vivunt; 4° de iis qui in gentilitate et infidelitate negativa versantur; 5° tandem paucis additis de parvulis qui baptismatis ablutioni praemoriuntur: ut eo luculentius pateat quantum ab angusta et illiberali intolerantia vel exclusivitate aliena sit illa sententia, in sensu Ecclesiae accepta, *Extra ecclesiam non posse haberi salutem.*

Hîc autem praecipue prae oculis habenda erit illa regula, quam superius indiximus (n. 3), scilicet nos in hoc loco non loqui tamquam definientes quid in nostra opinione sentiamus, sed tantummodo quid absolute sentire cuique liceat, quin contra dogma catholicum offendatur, ad extremos usque limites libertatis theologicae ab Ecclesia non reprobatae rigorem

1 Conferenza 21 aprile 1841.

dogmatis de quo agitur attenuantes, nam de solo dogmate vindicando causa est. Atque insuper nunquam non meminerimus nos in sequentibus loqui non de ipsa actuali *consecutione* salutis, cuius rei solus Deus qui corda scrutatur index est, sed tantummodo de possibilitate consequendae salutis; iuxta proposita ab initio Summi Pontificis verba: eos qui invincibili ignorantia laborant, *posse*, divinae gratiae virtute, *aeternam consequi vitam*. Ceterum « quamdiu in terris versamur, » mortali hac gravati mole quae hebetat animam..., *ulterius* » *inquirendo progredi nefas est* [1] ».

§ 3. Principiorum applicatio ad particulares quasdam, de salute illorum qui extra Ecclesiam visibilem inculpabiliter degunt, resolutiones.

I. *De Catechumenis et Excommunicatis.*

22. Et catechumenos quidem, qui per baptismi ianuam nondum in Ecclesiam visibilem ingressi sunt, illiusque societati corporaliter aggregati, pariterque excommunicatos, qui extra eam eiecti fuerunt, si fidem et charitatem interius habeant, statim ad Ecclesiam pertinere spiritaliter, apud omnes comperta res est. Quare, si repentino morbo correpti, illi sine baptismi ablutione, isti sine Ecclesiae reconciliatione, absque culpabili ipsorum neglectu, decedunt, caelesti Hierusalem nihilominus aggregantur [2].

II. *De Schismaticis.*

23. Quoad multitudinem fidelium qui in magno schismate graeco-rutheno bona fide versantur, eos ad animam Ecclesiae catholicae pertinere indubium est: sed etiam ad Ecclesiae corpus quodammodo pertinere illi non incongrue dicerentur. Etenim, uno fortasse excepto poenitentiae sacramento, cuius validitas pendet a potestate iurisdictionis, quam

1 Ex Alloc. *Singulari quadam.*

2 V. Liebermann, *Demonst. Cath.*, Part. I, in fine capitis I, consect. VI.

extra fines unitatis catholicae non praesumitur derivari, cetera sacramenta redemptionis visibilia, quorum validitas a sola potestate ordinis pendet, valide recipiunt, quia valida apud ipsos est sacra ordinatio sacerdotum et hierarcharum: porro sacramenta vivorum valide recepta vices supplere sacramenti poenitentiae, quod inculpabiliter defuit, et animam a peccatis mundare, et primam gratiam iustificationis infundere, probata sententia est. Sed et ipsum poenitentiae sacramentum apud ipsos validum esse, quoad eos qui bona fide illud recipiunt, dici aliquatenus posset: cum enim certum sit Ecclesiam apud catholicos occulte supplere iurisdictionem quae deest in ministro quando adest error communis in populo et titulus coloratus in ministro, pari ratione defendere forsan quis posset veram Ecclesiam occulte supplere in favorem fidelium iurisdictionem quae deest in ministris schismaticis, adeo ut absolutio ab ipsis impertita valida sit et vere sacramentalis: aut saltem hanc absolutionem validam esse in articulo mortis certum est. Quae cum ita sint, vitium schismatis solis primoribus nocet, quibus illud notum est, et qui illud contumaciter retinent: populares autem, idest fere tota multitudo fidelium in schismate bona fide degentium, cum veram Ecclesiam credant, et catholicam unitatem mente teneant et ament, solo errore facti putantes hîc potius quam illîc esse centrum unitatis et regnum Dei, cumque per hierarchiam divinitus institutam regantur, et more catholico per auctoritatem Ecclesiae edoceantur, omnia insuper habeant sacramenta redemptionis visibilia, et verae doctrinae christianae praedicationem (excepto enim uno vel duobus articulis abstractis et subtilioribus, de quibus simplices fideles nec valent nec ideo, supra quam valent, tenentur explicitam cognitionem habere [1],

1 Ad rem D. Thomas: « Simplices non sunt examinandi de subtilitatibus fidei..... Si tamen inveniuntur non pertinaciter perversae doctrinae adhaerere, si in talibus ex simplicitate deficiant, non eis imputatur ». Et iterum: « Minores non habent fidem implicitam in fide

in celeris doctrina Ecclesiae Graecae et Ruthenae schismaticae sana est et vere catholica); sequitur quod ad veram Ecclesiam, a Christo fundatam, non tantum spiritu, sed etiam corpore pertinent, fere dicerem, sicut et nos. Idemque, plus minus, dici posset de veteribus haereticis adhuc superstitibus, Cophtis, Iacobitis, Nestorianis, etc. (et fortasse de Anglicanis inter recentiores), quotquot hierarchiam validam servaverunt. De hoc solum dolendum est, quod isti omnes, quamvis inculpabiliter, in societate schismatica vel haeretica educati, non eam tantam christianae gratiae et doctrinae plenitudinem percipiant, quanta in catholicismo percipitur; nam ipsorum hierarchia, a centro unitatis disiuncta, non tam virens et potens et plena gratiae esse potest, quantum catholica: sed hoc ad abundantiam, non autem ad necessariam sufficientiam mediorum pertinet salutis.

III. *De Haereticis.*

24. Hanc salutis sufficientiam habere etiam eos qui bona fide inter haereticos versantur, omnium nostrorum doctorum consensio est; quod ad christianos bonae fidei et simplices in regionibus Protestantium educatos extendi potest. Baptisma enim, quod est primae necessitatis sacramentum, vel valide receperunt, vel putant se recepisse, quod idem est ac votum sincerum gerere illius. Habent quoque unius Dei, vel etiam Trinitatis, uniusque Mediatoris Christi cognitionem et fidem. Insuper participant Ecclesiae educationem et doctrinam; ipsi enim Protestantes, quamvis in theoria omne magisterium auctoritativum in religione reprobent, in praxi tamen, felici quadam incohaerentia, suos parvulos et simplices

» maiorum, nisi quatenus maiores adhaerent doctrinae divinae.... a » qua si aliqui maiorum deficiant, non praeiudicant fidei simplicium, » qui eos rectam fidem habere putant, nisi pertinaciter eorum erro» ribus in particulari adhaereant contra universalis Ecclesiae fidem » (2a 2ae, q. II art. 6, ad secundum et ad tertium).

more catholico docent, ipsisque doctrinam christianam per oralem educationem insinuant. Cetera quidem sacramenta, praeter baptismum, valida non recipiunt, quia valida apud ipsos non est (exceptis fortasse Anglicanis) sacra ministrorum ordinatio; attamen, si bonae fidei sunt, votum implicitum gerunt confessionis, quod, saltem in casu extremae necessitatis, tantum valere, quantum ipsum sacramentum, censeri potest. Sufficientiam igitur mediorum ad salutem habent etiam fideles bonae fidei inter Protestantes, et omnino pertinent ad Ecclesiam catholicam, et nequaquam sunt inter haereticos deputandi, ut dicit Augustinus [1]: quamvis sane, cum in societate versentur quae valde parum christianismi retinuit, iis abundantioribus mediis ad salutem, quibus catholici gaudent in Ecclesia, praesertim vero copiosa peccatorum remissione et gratiarum plenitudine careant, quae hauritur e fontibus sacramentorum.

IV. *De Gentilibus.*

25. Hucusque tam late extendi sinum Ecclesiae, extra quam salus haberi non potest, ut omnes omnino christianos bonae fidei cuiuslibet sectae complectatur qui Christi Redemptoris fidem habeant, demonstratum fuit. Sed insuper inquirendum est, utrum tam late extendatur Ecclesiae sinus, ut vel ipsos gentiles bonae voluntatis, qui nihil audierunt de Christo, comprehendat, vel illis praesto sit aliqua via interior in ipsum ingrediendi, et sic salutem consequendi.

26. Antea vero sequentia principia praestatuimus:

1 « Qui sententiam suam, quamvis falsam atque perversam, nulla » pertinaci animositate defendunt, praesertim quam non audacia suae » praesumptionis pepererunt, sed a seductis in errorem lapsis parentibus » acceperunt, quaerunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi pa- » rati cum invenerint, NEQUAQUAM SUNT INTER HAERETICOS DEPUTANDI ». Epist. XLIII, *als* CLXII.

1° Omnes omnino gentes ab initio in illo universali foedere comprehensae fuere, quod Deus iniit cum Noe, filiisque eius, eorumque semine post eos in generationes sempiternas statim post diluvium, et communis revelationis et spei semina, unâ simul cum divina benedictione, communiter receperunt, ad eamque religionem veram et universalem pertinuerunt de qua AUGUSTINUS dicit « Res ipsa, quae nunc christiana religio nuncupatur, et apud antiquos fuit, nec defuit » ab initio generis humani, quousque ipse Christus veniret in » carne, unde vera religio, quae iam erat, coepit appellari Christiana[1] ». Porro foedus particulare, quod postea iniit Dominus cum Abraham et semine eius quadringentos circa annos post diluvium, non illud universale foedus, quod antea inierat cum toto genere humano, irritasse vel evacuasse, eodem fere argumento confici potest, quo D. PAULUS demonstrat legem Mosaicam, quae quadringentos circa annos post Abrahae vocationem lata est, foedus a Deo cum ipso Abraham iam confirmatum non irritum fecisse ad evacuandam promissionem[2].

2° Quapropter, etiam posteaquam posteritas Abrahae populus Dei peculiaris facta est, non desiit populus gentilium esse populus Dei universalis, in quo salutem consequi possent quotquot divinae traditioni et religioni fideliter inhaesissent[3]. Quid igitur foedus particulare et lex Mosaica? « Propter

1 Retr., lib. I, cap. XIII.

2 *Gal.*, III, 17.

3 « Il ne faudrait pas s'imaginer, en effet, que Dieu, en concluant une alliance spéciale avec le peuple juif, eût privé de ses bienfaits le reste de l'humanité. Tel n'était pas le dessein de la Providence. Les autres nations, elles aussi, participaient à cette effusion de grâces et de lumières. Ni les ressources naturelles de l'intelligence, ni le secours de la révélation primitive, ni l'action surnaturelle de Dieu sur les âmes, ne faisaient défaut à une portion quelconque de la grande famille humaine. Avec l'assistance divine qui ne manquait à personne, et en profitant des moyens qu'il trouvait en lui même et au dehors, chaque

» transgressiones posita fuere, donec veniret semen cui pro-
» miserat, donec promissio ex fide Iesu Christi daretur omni-
» bus gentibus [1] »: nempe, oeconomia particularis provisorie et temporarie ordinata fuit ad securius custodienda semina illius universalis revelationis et spei quae iam omnibus gentibus communicata fuerat, et quae deinde super omnes gentes aliquando adimplenda erat [2]; sed quominus interim gentiles ipsi possent, foederi et religioni Dei inhaerentes, spei et salutis, quae per Christum adimplenda erat, participes fieri per fidem, sicut et Iudaei, minime impediebat.

Gentes quidem non permanserunt in foedere Dei, sed, in vanitate sensus sui ambulantes, plus, minusve a primitiva revelatione recesserunt: unde idololatria et turpes superstitiones exortae sunt. At vero haec gentium defectio non veluti totalis abiectio divinae revelationis censenda est, sed potius schismati et haeresi et cuidam veluti magno protestantismo comparanda, in quantum gentes a legitima linea traditionali recedentes revelationis dogmata corruperunt, sed non totaliter amiserunt [3]. Quapropter, sicut in haereticis et

homme pouvait arriver à sa fin et accomplir la volonté de Dieu ». Ita cl. Freppel in opere cui titulus *Clément d'Alexandrie, Cours d'éloquence sacrée fait à la Sorbonne pendant l'année* 1864-65, pag. 159; cuius eximii scriptoris plura praeclarissime dicta deinceps proferemus. Vide Append. *B* et *C* ad calcem huius dissertationis.

1 *Gal.*, III, 19.

2 *Gal.*, III, 23-29.

3 De revelatione primitiva apud populus derivata, et aliquatenus conservata, vide FREPPEL, *S. Justin* XIe Leçon pag. 215-218; et *Clément d'Alexandrie*, VIe Leçon pag. 146-152 «... Ce n'est pas de la révélation » du Sinaï que provenaient les lumières repandues dans le monde païen... » C'est à une époque plus reculée bien antérieure à la mission de Moïse, » qu'on doit faire remonter l'origine de ces traditions qui avaient sur- » vécu aux ancêtres du genre humain. En se dispersant après le déluge » les descendants de Noé emportèrent avec eux dans différentes contrées » où ils allaient se fixer, la doctrine d'un Dieu unique, *etc*... Cette source » primordiale, est également celle où les anciens peuples ont puisé le

schismaticis aevi postchristiani non totaliter periere christiana dogmata et instituta, nec totaliter nationes ab unitate catholica separatae salutifero Christi et Ecclesiae influxui subtractae fuerunt, alioquin desiissent totaliter esse christianae; sic etiam apud ethnicos non totaliter periit primitiva traditio, nec totaliter nationes gentiles a divinae providentiae influxu exciderunt, alioquin cessassent totaliter esse humanae. Et revera ex recentioribus de antiquitate studiis constat quasdam primitivae revelationis traditiones apud omnes gentes permansisse; cuiusmodi sunt ex. g. dogma cuiusdam culpae originalis naturam inficientis, et nativitatis infantium expiatoriae quaedam caeremoniae, et solemnis sacrificiorum cruentorum ritus cum intimo sensu necessitatis expiationis coniunctus, et futuri Liberatoris expectatio, qui eapropter in sacris Bibliis *expectatio gentium et desideratus earum* appellatur[1]. Notio item

» souvenir d' une déchéance originelle, la promesse d' un Rédempteur, » l'usage des sacrifices expiatoires... Si l'on rapportait ces connais- » sances à la loi écrite, on n'expliquerait jamais qu'elles eussent pu par- » venir jusqu'à des peuples comme les Mexicains et Péruviens, qui ne » soupçonnaient pas même l'existence des livres de l'Ancien Testament... » Avec la dispersion des enfans de Sem, de Cham, de Japhet, ces vérités » qui formaient le patrimoine du genre humain, se sont répandues dans » les diverses parties du monde, où elles ne tardèrent pas à subir des al- » térations plus ou moins graves. Nous les voyons pénétrer en Grèce avec » les premières colonies parties de l'Orient, pour se réfléchir dans les tra- » ditions orphiques et sacerdotales, *etc.* (ibid. 146 seg.) »

1 « Le dogme du Médiateur, ou de la Rédemption qui forme le point » central de la révélation divine, dont il est le résumé ou l'abrégé, vi- » vait au coeur de tous les peuples. C'est là un fait historique qui ne » souffre plus aucune difficulté... » (FREPPEL, *S. Justin*, Leçon XVI[e], pag. 327. Vide Append. *B* ad finem huius Dissert.) « Cette foi (au Médiateur) n'était pas impossible au sein du paganisme. S'il y a un fait constaté par l'histoire, c'est l'attente universelle d'un Rédempteur parmi les nations païennes. Cette croyance y prenait les formes les plus diverses, j'en conviens, mais elle était vivante au coeur de l'humanité. Là-dessus il n'y a qu'une voix dans la science tant moderne qu'ancienne, et l'incredulité elle-même ne le conteste pas. Avant Jésus-Christ, le genre humain

unius supremi Dei, tum ex traditione, tum ex rationis lumine, apud ethnicos haberi potuit: « Invisibilia enim Dei per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur [1] »; et quamvis in processu temporis absurdae prorsus superstitiones apud quasdam gentes invaluerint, tamen ab initio unum, eumdemque verum Deum, sub diversis nominibus et respectibus, variorum cultuum obiectum fuisse, omnesque proinde religiones veras fuisse hoc sensu quod fuerint totidem formae diversae quibus primitiva veritas vestiebatur, et totidem idiomata quibus creatura infirma suum obsequium exprimebat erga dominatorem universi [2], quodammodo concedi posset: vel saltem unius veri Dei notionem alte semper insedisse mentibus, et tantum luminis hominibus semper refulsisse, ut a turpi idololatria volontarie abstinere potuissent, et verum Deum colere in spiritu, Tertullianus et Cyprianus aliique auctores sunt [3]: quod reipsa fecisse supponimus homines bonae voluntatis de quibus loquimur.

3° Tandem dogma est christianorum Christum sanguinem suum fudisse, et semetipsum tradidisse pro omnibus omnino hominibus, absque ulla locorum vel temporum exceptione: *Ipse enim est Agnus qui occisus est ab origine mundi* [4], nempe cuius passionis virtus ab origine mundi, sicut per ritus diversos sacrificiorum cruentorum praefigurabatur, ita per fidem percipiebatur non tantum a Iudaeis sed etiam

tout entier avait le sentiment de sa déchéance et l'espoir d'une réhabilitation..... Sacrifices, rites expiatoires, purifications des nouveau-nés, rien ne s'explique d'une manière satisfaisante sans cette croyance universelle, débris indestructible de la révélation primitive. (FREPPEL, *Clément d'Alexandrie*, pag. 165).

1 *Rom.* I, 20.

2 Vide PERRONE, *Praelect. Teolog.* tom. I, p. 274, n. 308, in obiect.

3 Quoad monotheismum superstitem inter gentiles, vide FREPPEL, *S. Justin*, Leçon x^e pag. 191 seq.; *Clément d'Alexandrie*, Leçon v^e pag. 126 seq., et iterum pag. 149, seq.

4 *Apoc.*, XIII, 8.

a gentilibus qui in verum Deum crederent et in verum Redemptorem, *qui est propitiatio non pro nostris tantum, sed etiam pro peccatis totius mundi*[1] : huius enim vivifici sacrificii altare, inquit ORIGENES, in solo quidem Calvario fuit, sed victimae sanguis in universum orbem exundavit. Ideoque dicendum omnes omnino homines ad Iesum Christum virtualiter pertinere, et saltem potentialiter omnes fuisse redemptos.

27. Hisce tribus principiis praestitutis, quae iam generaliter innuunt gentes non fuisse nec esse per se, vel ex ullo divino decreto, spei redemptionis et salutis exsortes, neque ab illa universali Ecclesia exclusas, extra quam salus haberi non potest, duplex sese nobis offert via explicandi quomodo gentiles bonae voluntatis, qui, quantum in se est, iuste et inculpabiliter ex ratione vivere, et sincero affectu verum Deum colere supponuntur (nam qui culpabiliter vivunt et errant, nisi malefactorum eos poeniteat, iam propria culpa perire necessum est, n. 9), potuerint et possint redemptionem et salutem, quae per Christum est, actu participare, et sic ad eam Ecclesiam, extra quam salus non habetur, spiritualiter pertinere: scilicet, vel eos ponitur ad ipsam Ecclesiam divina gratia reductos iri; vel ponitur eos iam spiritu ipsam participare: sed utrique huic viae legitimae affinis est error quem caute vitare oportet.

28. Prima itaque via legitima ea est, quam innuit D. Thomas dicens Deum missurum fore angelum de caelis ad erudiendum quemcumque hominem bonae voluntatis in infidelitate versantem, ut Christum cognoscere valeat, in eumque credere ad salutem : ubi sub nomine angeli intelligi potest quaecumque interior gratia et inspiratio qua Deus illum hominem ad desiderium et fidem redemptionis excitet, iuxta receptum illud in scholis : « facienti quod in se est, Deus non denegat gra-

1 1a IOANN., II, 2.

tiam »: etenim non desunt Deo, inquit LEIBNITIUS [1], innumeri modi ad mentes et corda supernaturaliter illuminanda. Porro in hac sententia supponitur, ut patet, gentiles bonae voluntatis actualiter esse extra Ecclesiam, ideoque extra viam salutis; sed Deum ipsis subventurum fore, ut in illam reducantur [2].

Error autem huic legitimae solutioni affinis foret dicere, infidelem, ex ratione, quantum in se est, iuste viventem, mereri gratiam, adeo ut iniustus sit Deus si illam non concedat; nam e contra firmiter retinendum est quod auxilium gratiae, ut dicit D. THOMAS 2ª 2ªᵉ, q. II, a. 6 ad 1.ᵘᵐ, « quibuscumque divinitus datur, misericorditer datur, quibus autem non datur, ex iustitia non datur, in poenam praecedentis peccati, et saltem peccati originalis, ut inquit AUGUSTINUS ».

29. Altera via legitima, quae pariter ex principiis D. THOMAE deducitur, foret dicere gentiles iuste ex ratione et traditione viventes, et quantum in se est verum Deum colentes in spiritu, iam actu pertinere ad Ecclesiam, utpote cognitionem veri Dei et implicitam saltem Redemptoris fidem habentes. « Etsi enim, inquit S. Doctor, ib. art. 7, mysterium incarnationis et redemptionis Christi *aliqualiter* oportuit omni tempore esse creditum apud omnes; *diversimode tamen secundum diversitatem temporum et personarum* »; et postquam dixit apud veteres passionem Christi praefiguratam fuisse quibusdam sacrificiis, subdit: « quorum quidem sacrificiorum significatum explicite maiores cognoscebant, minores autem sub velamine illorum sacrificiorum, credentes ea divinitus esse disposita, de Christo venturo habebant quodammodo velatam cognitionem ». Atqui hoc ipso modo quo minores apud hebraeos, dici potest etiam pios gentiles

1 *Theod.* n. 93 et 99.

2 Hanc potissimum secutus est Clemens Alexandrinus, uti postea dicemus num. 48, seqq.

habuisse implicitam et quodammodo sub velo latentem cognitionem redemptionis futurae, inquantum ritui sacrificiorum, ex legitima traditione provenienti, spiritu coniungebantur[1]. Et hoc expresse docet S. Doctor, a. 7 ad 3.um dicens: « Multis gen- » tilium factam fuisse revelationem de Christo patet per ea » quae de illo praedixerunt; nam Iob., xix, 25 dicitur: *Scio » quod Redemptor meus vivit;* et Sybilla etiam praenuntiavit » quaedam de Christo, ut Augustinus dicit in lib. xiii contra » Faustum, cap. xv, etc.... Si qui tamen, prosequitur S. Doctor, » salvati fuerunt, quibus revelatio non fuit facta, non fuerunt » salvati absque fide Mediatoris, quia, etsi non habuerunt » fidem explicitam, habuerunt tamen fidem implicitam in » divinam providentiam, credentes Deum esse liberatorem ho- » minum secundum modos sibi placitos, et secundum quod » aliquibus veritatem cognoscentibus Spiritus revelasset, se- » cundum illud Iob, xxxv, 11, *qui docet nos super iumenta » terrae* ». Hanc autem fidem implicitam, quam D. Thomas definit, plurimos habere potuisse constat. Nec obstat quod D. Thomas in eodem articulo dicat, quod « post tempus gratiae » revelatae, tam maiores quam minores tenentur habere » fidem explicitam de mysteriis Christi »; id enim intelligendum videtur de iis tantummodo, in quibus Christus est praedicatus, et qui in Ecclesia educati sunt, ut patet ex iis quae subdit « praecipue quantum ad ea quae communiter in » Ecclesia solemnizantur, et publice proponuntur, sicuti sunt » articuli Incarnationis »; non autem de iis gentilibus, in quibus Christus nondum est praedicatus, et qui ideo virtualiter pertinent ad aevum antechristianum.

Error autem huic sententiae affinis, qui caute vitandus est, foret dicere solam rationem et iustitiam naturalem sufficere ad salutem absque fide et redemptione Christi; id enim esset merus Deismus.

1 Huic viae praecipue inhaesit S. Iustinus, cuius mox sensa proferemus, num. 38, seqq.

30. Utroque igitur modo nuper explicato constat neminem, qui bonae sit voluntatis, ab universalitate excludi Christianae Ecclesiae et Salutis.

Neque dicas, si talis est conditio gentilium, ergo gratis Christus mortuus est, vel frustra Ecclesiam adlaborare ad eorum conversionem, vel nihil amplius esse utilitatis catholicis prae infidelibus [1]. Nam 1°, Christum gratis mortuum esse, prorsus irrationabiliter concluderetur, cum ex dictis non alia salus gentibus datur quam per Christum, cuius Passionis virtus per fidem implicitam vel explicitam omnibus applicatur, ut a peccato liberentur: 2°, nec minus illogice concluditur Ecclesiam frustra adlaborare ad gentium conversionem; etenim (praeterquamquod Ecclesia catholica, ipsiusque apostolatus, necessitate premitur [2] illius mandati, quod accepit a Christo, evangelizandi et baptizandi omnes gentes usque ad ultimum terrae, ipsasque edocendi explicite doctrinam et charitatem Christi et divitias redemptionis illius, et omnes ad unitatem reducendi), si zelus apostolicus tam iuste exardescit ad convertendos peccatores qui sunt in Ecclesia, quamvis illi tot mediis gaudeant ad salutem, quis non videat quanto magis adlaborare debeat ad convertendas miseras nationes infidelium, quae, tum quia carent ea gratiarum plenitudine quae in Ecclesia percipitur, tum quia culpabili forsan ignorantia et morali dissolutione laborant, in tam peiori conditione et discrimine salutis versantur [3]? Unde et ad tertium sequitur responsio; plurimum enim utilitatis per

1 *Rom.*, III, 1.

2 Necessitas mihi incumbit (I *Corinth.*, IX, 16); charitas Christi urget nos (II *Corinth.*, V, 14).

3 « Ceterum, prout caritatis ratio postulat, assiduas fundamus preces, » ut omnes quaquaversus gentes ad Christum convertantur, communique » hominum saluti pro viribus inserviamus, neque enim abbreviata est » manus Domini, gratiaeque caelestis dona nequaquam illis defutura sunt » qui hac luce recreari sincero animo velint, et postulent » (Ex Alloc. *Singulari quadam* 9 decembris 1854).

omnem modum adhuc superesse catholicis prae infidelibus, patet; firmaque semper manet sententia Apostoli: *Salvator est* (Deus) *omnium hominum*, **maxime fidelium**[1].

Eoque minus obiici nobis potest in *Syllabo* propositionum a S. Sede reprobatarum recenseri et istam: *Homines in cuiusvis religionis cultu viam aeternae salutis reperire, aeternamque salutem assequi possunt.* Etenim, tum ex titulo *de indifferentismo et latitudinarismo* sub quo illa refertur, tum ex contextu aliarum ante et post propositionum, tum ex terminis quibus ipsa componitur, satis evidens est ibi eos perstringi qui docent cuique liberum esse eam pro libito religionem sequi *quam voluerit* (id enim significat verbum *cuiusvis* scite in propositionis formula adhibitum)[2]; qui

1 *Rom.* III, 2 seq.; I Tim. IV, 10. « Sans doute, il reste toujours une » distance incalculable entre la condition du païen et la situation du » chrétien, qui trouve dans la parole du Christ et dans les sacrements » autant de moyens efficaces pour se mettre en état de grâce, pour y » persévérer, et pour y rentrer après avoir eu le malheur d'en déchoir. » Mais, à moins de renverser les principes que nous avons établis tout » à l'heure c'est-à-dire les fondemens mêmes de la doctrine chétienne, » nous sommes obligés de soutenir qu' il n' était pas absolument » impossible aux païens d' acquérir la charité ou le don de la grâce » sanctifiante ». FREPPEL, *S. Justin*, etc., pag. 328. Vide Append. *B* ad finem.

2 Ad rem cl. FREPPEL « Je n'ai pas besoin, Messieurs, de vous faire observer qu'il y a tout un abîme entre le sentiment de saint Thomas ou de la Sorbonne sur le sort des infidèles, et les deux propositions condamnées dans le *Syllabus* annexé à l'Encyclique du 8 décembre 1864: - Les hommes peuvent trouver le chemin du salut éternel et obtenir le salut éternel dans le culte de n'importe quelle religion : - Au moins doit-on bien espèrer du salut éternel de tous ceux qui ne vivent pas dans le sein de la véritable Église du Christ - Ce que le souverain Pontife veut réprouver par là, c'est le système de l'indifférence en matière de religion, comme l' atteste, outre les trois documents auxquels la sentence se réfère, le titre même du paragraphe, *Indifférentisme, latitudinarisme*. Or, dans l'Encyclique *Qui pluribus*, le pape Pie IX, à l'exemple de ses prédécesseurs, avait déjà déclaré ce

sensus est omnis veritatis destructivus, uti diximus supra nn. 5-7, et longissime abest a nostro. Ceterum quotquot in sententia nostra salvantur non ad aliam religionem pertinent quam catholicam.

système aussi contraire à la raison naturelle qu'à la doctrine catholique. Pour soutenir que les hommes peuvent se sauver dans n'importe quelle religion, il faut affirmer qu'il est indifférent pour eux d'embrasser la vérité ou de la repousser, d'ajouter foi à la parole de Dieu ou de lui fermer l'oreille... Voilà l'erreur capitale que le souverain Pontife poursuit sous les formes multiples où elle se cache. Il ne peut y avoir qu'une religion véritable, par la raison bien simple que deux propositions contradictoires ne sauraient être également vraies ; et par conséquent cette religion véritable est la seule qui puisse conduire l'homme à sa fin, comme la véritable logique est la seule qui puisse empêcher l'homme de déraisonner, et la véritable arithmétique la seule qui puisse lui apprendre à ne pas se tromper dans ses calculs... Mais entendons-nous bien sur le sens et la portée de cette maxime (« hors de l'Église pas de salut »): elle signifie qu'il n'y a pas de salut pour ceux qui se trouvent hors de l'Église sciemment et volontairement ; car la bonne foi excuse ceux qui se trompent, et l'ignorance involontaire exclut la culpabilité. C'est ainsi que le Chef de l'Église interprète la formule dans l'un des documents auxquels il renvoie pour l'intelligence des propositions condamnées ; et vous me permettrez de placer sous vos yeux ces paroles explicatives, ne serait-ce que pour vous faire voir comment l'on doit interpréter une Encyclique, lorsq'on croit pouvoir s'en mêler. « Nous voulons exciter votre sollicitude... *(reliqua vide supra pag.* IV *not.* 2).

« Voilà, Messieurs, comme s'exprime l'Église sur le sort de ceux qui vivent en dehors d'elle. Elle affirme le principe, car si elle cessait de l'affirmer, elle se renierait elle-même ; mais elle s'en remet à Dieu du soin de l'appliquer. Elle déclare que la vraie religion est seule capable de sauver les hommes ; et cette déclaration, il n'y a que les athées et les panthéistes qui puissent la repousser sans être inconséquents: mais en proclamant qu'en dehors de la vraie religion il n'y a pas de salut, elle enseigne également que nul ne sera condamné pour l'avoir ignorée sans qu'il y eut de sa faute. Elle répète avec Clément d'Alexandrie : « A qui n'a jamais entendu parler du Verbe, il sera pardonné en faveur de son ignorance »; et par là elle donne à nos espérances une grande ouverture. Pas de fausse sécurité pour les consciences : cela ne servirait de rien; nos

V. *De infantibus baptismo praemortuis.*

31. De adultis, de quibus generatim statui potest bene volentibus non defuturam gratiam et salutem, adeo ut omnes qui pereunt ex ipsis, propria culpa pereant, iuxta illud, *Perditio tua ex te*, haec satis dicta sint. Superest itaque ut tandem pauca etiam dicamus de parvulis qui baptismo praemoriuntur, quibus cum neque baptisma reale, quod non receperunt, neque bona voluntas, cuius incapaces sunt, suffragari possit, videntur omnino irreparabiliter perire, et ex defectu fortuitae et exterioris conditionis a regno Dei, quamvis inculpabiles certo sint, in aeternum excludi.

32. At vero, iis praemissis quae iam antea diximus nn. 16-14, nempe, etiamsi verum foret, quod in obiectione supponitur, perire parvulos qui sacramento regenerationis praemoriuntur, nihil inde venire contra Dei attributa et doctrinae catholicae veritatem, tum quia, quod infantes in tali statu peccati nascantur, non ex arbitrio et voluntate Dei, sed ex fatali necessitate provenit humanae generationis, tum quia illi ius nullum habent ad gratiam omnino gratuitam Redemptoris; nec ipsorum conditio ullimode aggravaretur, sed ad summum relinquerentur in conditione sua; quinimmo plura et magna bona nihilominus a Christo humanae naturae restauratore perciperent, nempe resurrectionem, et integritatem, et perfectionem, et immortalitatem corporum suorum, et novae vitae quam habebunt a Christo conditionem multo meliorem quam eius vitae miserae et corruptibilis quam receperunt ab Adam: hisce, in-

raisonnements ne sauraient changer l'essence des choses. Mais aussi pas de rigueurs inutiles, car nous n'avons pas le droit de porter contre qui que se soit une sentence que Dieu s'est réservée. Du moment que la doctrine est sauve, que les principes demeurent hors d'atteinte, la tâche de de l'Église est terminée. Là commencent les jugements de Dieu, là s'ouvre le champ de sa miséricorde; or ces jugements sont impénétrables, et ce champ est illimité (*Clément d'Alexadrie*, pag. 174 seq.) ».

quam, praemissis, iterum respondemus directe in hac re distinguendas esse duas quaestiones, quae nimis frequenter in vulgari opinione et adhuc in nuper exposita obiectione confunduntur, et dogma catholicum in suis praecisis terminis, neque plus neque minus, esse accipiendum.

33. Nempe, alia est quaestio *iuris*, quod scilicet omnes qui ex Adam nascuntur, quamvis recens nati infantes, a regno Dei maneant exclusi, nisi renascantur in Christo; et istud est dogma ab Ecclesia definitum adversus Pelagianos, qui negabant peccatum originale, et consequenter necessitatem baptismi et Christi redemptionis: et alia est quaestio *facti*, quod scilicet infantes, qui baptismo praemoriuntur, nullimode nec unquam regenerentur; et de hac re nullum est, quod sciam, Ecclesiae decretum, quae semper sola iura promulgat, facta autem divino committit arbitrio. Verum quidem est tales pueros non regenerari per medium ordinarium et sensibile quod Deus tradidit Ecclesiae, neque per ministerium ipsius matris Ecclesiae renasci, et ipsius terrestri communioni aggregari; sed Deum non disposuisse pro ipsis regenerandis aliquod aliud medium extraordinarium, vel non potuisse illud sibi reservare, hoc nullimode, quod sciam, est definitum.

34. Quin immo, baptismum aquae non esse unicum medium humanae regenerationis, certo scimus; pro adultis enim alia duo assignantur, nempe baptisma flaminis, et baptisma sanguinis: et pro parvulis etiam certum est veteri stante oeconomia aliquod aliud medium fuisse divinitus ordinatum; nam circumcisio nec omnibus dabatur, sed solis filiis masculis Hebraeorum non ante octavum a nativitate diem, nec, iuxta communem sententiam, quibus dabatur, in remissionem peccati originalis ordinata fuerat, sed tantum in aggregationem eorum cum Israele visibili Dei. Cum igitur veteri stante oeconomia omnes parvuli, vel circumcisi vel non circumcisi, tum iudaeorum tum gentilium, in toto terrarum

orbe decedentes, recipiebantur in limbum expectationis, donec veniret Christus, qui eos regenerando a morte et peccato liberaret, non est contra aliquod fidei christianae dogma expresse definitum asserere pariter omnes parvulos, tum christianorum tum gentilium, in toto orbe sine baptismatis ablutione decedentes, in limbum expectationis recipi donec in secundo adventu Christi per ipsum, si ei placeat, regenerentur. Equidem id affirmare temerarium foret; quis enim praesumat se scire id, quod Ecclesia se ignorare profitetur, quia illi non fuit divinitus revelatum: sed e contra illud negare, non est dogmaticum: et ista positio negativa ad praesens nostrum propositum satis est (n. 3); sortem illorum infantium de cetero divinae bonitati committentes, quae, sicuti adultis bene volentibus vel poenitentibus non pro ipsorum meritis sed pro sua misericordia succurrit, ita parvulis illis, qui nullius culpae voluntariae rei sunt, non deerit, adeo ut *gratia superabundet delicto*, et non minor illa quam istud inveniatur [1], et Christus totius omnino mali, quod Adam peperit, reparator exsistat, per hoc quod *omnes, qui in Adam moriuntur, in Christo vivificabuntur* [2].

35. Breviter, obiectio ad hanc strictam argumentandi formam reduci potest: *Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. Atqui parvuli praemorientes baptismati non sunt renati denuo. Ergo excluduntur in perpetuum a regno Dei.*

Maior quidem huius syllogismi est omnino dogmatica et incontrovertibilis; minor autem sic est distinguenda: *atqui parvuli praemorientes baptismati non sunt renati ex aqua, et ideo regno Dei in terris non sunt aggregati;* non quidem dogmatica est, sed tamen certa: *atqui non renati sunt, nec unquam renascentur ex spiritu, et ideo a regno Dei caelesti in perpetuum exulabunt,* nec certa est omnino, neque dog-

1 *Rom.*, v, 15, 21.
2 I *Cor.*, xv, 21, 22.

matica: quapropter ne consequentia quidem dogmatica esse potest.

Mentis allucinatio, a qua obiectio et vulgaris opinio procedit, eadem semper est, scilicet confundere necessitatem regenerationis, quae omnino insupplebilis est, cum necessitate alicuius ad ipsam regenerationem efficiendam formae phaenomenicae et exterioris, quae aliter divinitus suppleri vel mutari possit, et affirmare de secunda id quod de prima tantummodo dogma est.

36. Non abs re erit huc referre quae habet D. Thomas in 3, q. LXVIII, art. XI, ubi, postquam statuit pueros in maternis uteris positos non esse baptizandos propter rationes quas in corpore articuli exponit, hoc primum contra suam thesim dubium movet: « Videtur quod pueri in maternis » uteris existentes possint baptizari. Efficacius enim est donum » Christi ad salutem, quam peccatum Adae ad damnationem, » ut Apostolus dicit ad Romanos, cap. v. Sed pueri in ma- » ternis uteris damnantur propter peccatum Adae. Ergo multo » magis salvari possunt per donum Christi; quod quidem fit » per baptismum. Ergo, etc. ».

In responsione vero ad 1.um, si bene attendas, sanctus Doctor totum argumentum, quo constat obiectio, concedit usque ad primam consequentiam inclusive, *Ergo multo magis* (ii pueri) *salvari possunt per donum Christi*, et solummodo negat adiectam propositionem, *Quod quidem fit per baptismum*, quia quamvis non salventur per baptismum exteriorem, cuius incapaces sunt propter rationes in corpore articuli allatas, possunt tamen salvari alio modo per gratiam Dei. En ipsius verba valde notabilia: « Ad primum » ergo dicendum quod pueri in maternis uteris existentes » nondum prodierunt in lucem, ut cum aliis hominibus vitam » ducant, unde non possunt subiici actioni humanae, ut per » eorum ministerium sacramenta recipiant ad salutem. *Pos-* » *sunt tamen subiici operationi Dei, apud quem vivunt, ut*

» *quodam privilegio gratiae, sanctificationem consequantur,*
» *sicut patet de sanctificatis in utero* ».

Porro nemo non videt necessarium esse (ne, contra regulas logicae, responsio minoris sit extensionis et efficaciae quam obiectio, hoc autem de tanto doctore omnino nefas est cogitare) necessarium esse, inquam, admittere quod, iuxta D. Thomam, huiusmodi sanctificatio per gratiam Dei absque baptismo concedi possit omnibus huiusmodi pueris qui baptismi exterioris incapaces sunt, uti patet praesertim ex iis verbis emphaticis: *possunt subiici operationi Dei*, APUD QUEM VIVUNT. Nec obstat quod sanctificationem ipsorum vocat *privilegium gratiae;* etenim sic eam appellat, non quia aliquibus tantummodo ex huiusmodi pueris, de quibus agitur, concedatur, non omnibus; sed *privilegium gratiae* eam vocat respectu ad ordinarium medium quo salvantur et sanctificationem consequuntur pueri baptizati. Nec iterum obstat quod in exemplum proferat sanctificatos in utero, qui paucissimi numerantur, nam exemplum profert tantummodo ad ostendendam possibilitatem beneficii, non ad ipsius extensionem coarctandam.

37. Ceterum allatum D. Thomae testimonium, si quid video, plurimum valet ad confirmandum id quod in nostra tractatione statuimus, nempe non ipsum praecise baptismum exteriorem aquae esse necessarium de tam absoluta necessitate medii ad salutem, ut aliter suppleri non possit divinitus, quando *inculpabiliter* deest, sed solummodo de sanctificatione et regeneratione, quae est interior animi a peccato baptismus, huiusmodi absolutam necessitatem esse intelligendam, nec vulgarium mentium confusionem in hac re esse a theologo admittendam; idque eruitur etiam ex iis quae cum communi theologorum sententia statuit S. Doctor, ibid. art. 2., de iis qui sine baptismo corporali decedentes, Deo interius hominem sanctificante, CUIUS POTENTIA SACRAMENTIS VISIBILIBUS NON ALLIGATUR, possunt consequi salutem.

III. Quorumdam Ss. Patrum testimonia in præcedentium confirmationem.

38. Placet denique, in eorum quae diximus de possibilitate salutis consequendae, quoad eos qui extra visibilem Ecclesiam vel exteriorem redemptionis participationem inculpabiliter versantur, confirmationem, quaedam proferre sanctorum Patrum testimonia; praesertim vero Iustini, Clementis Alexandrini, et Chrysostomi inter Graecos, qui tres celeberrimas antiquitatis christianae scholas, nempe Romanam, Alexandrinam, et Antiochenam respective nobis referunt; ex Latinis autem Augustini, Leonis Magni et Bernardi, qui testes sunt Ecclesiae Universalis.

S. Iustinus.

39. Et primo quidem de Iustino notum est ipsum pluribus in locis docuisse Christi quodammodo fuisse participes (quapropter non abhorruit christianos etiam latiori quodam sensu appellare) quotquot inter ethnicos aliquid veri circa res divinas et morales cognoverunt vel docuerunt, aut recte vixerunt, hac potissimum ductus ratione quod ipsi eodem illo Verbo illuminabantur quod postea *caro factum* nobis Christus est, ideoque cum Christo quodammodo communicasse censendi sunt; eamdemque relationem esse statuit inter ethnicos illos et christianos, quae inter perfectum et imperfectum in eodem genere interest, quatenus nempe illi quamdam tantummodo partem Verbi, vel, ut ipse ait, Rationis disseminatae[1] (σπερματικοῦ λόγου) perceperunt, nos vero in Christo ipsum Verbum totaliter apprehendimus.

40. Sed, ne ulla ex verbis S. Doctoris errandi occasio

1 Ita interpretatur editor Maurinus operum S. Iustini. Paullo aliter in Apologia secunda, num. VIII, S. Doctor vocat *insitum omni hominum generi Verbi semen*: Ἔμφυτον παντὶ γένει ἀνθρώπων σπέρμα τοῦ λόγου.

suboriatur, et quae ad elucidationem afferuntur, potius tenebras offundant, non abs re erit in primis quomodo illa ad rectae theologiae amussim exigantur paucis aperire.

Ultro itaque fatemur, et rem intimius vestiganti patet, Iustinum, dum asserit ethnicos fuisse Verbi participes, proprie et directe loqui de ea Verbi participatione quae per naturalis rationis lumen habetur ab omnibus, et deinde per rectae philosophiae et reflexionis usum excolitur et perficitur a paucis; ideoque illos Christi participes et christianos appellasse, non qua parte Christus Redemptor est, et gratiae supernaturalis principium et fons, sed potius inquantum ille ipse perfecta Ratio est et lumen ac conditor mentium, in qua, quidquid veri et rationis est, plenissime adimpletur: quae quidem Verbi seu Christi participatio naturalis per se non sufficeret homini ad salutem supernaturalem adipiscendam. At vero probos ethnicos appellando *participes Christi* atque *Christianos,* hoc etiam S. Doctorem voluisse illos christianam salutem potuisse participare, indubium mihi est; quorsum enim Christianorum nomine condecorasset, quos a christiana salute alienos prorsus iudicasset? Idque ex duplici titulo illum tenuisse, et verum tenuisse, ipsius verba demonstrant. Primum scilicet propter personae identitatem eiusdem illius Verbi quod simul est lux et salus hominum; ipsissimus enim Logos qui probos et scios facit in ordine naturali, ipse est qui Patribus revelavit mysteria, et dein caro factus nos redemit a peccato et salvos facit in ordine supernaturali; quapropter recta ratio est veluti una verbi facies cui altera copulatur, et ad modum atrii per quod intratur ad Fidem, vel, quod postea Clemens Alexandrinus latius demonstrabit, philosophia paedagogi more, sicut Lex Hebraeos, ita illa Graecos ducebat ad Christum; nempe hoc recidit in illud quod demum summus Pontifex suprema auctoritate sancivit: *eos, qui invincibili circa sanctissimam nostram religionem ignorantia laborant, quique naturalem legem eius-*

que praecepta in omnium cordibus insculpta sedulo servantes, ac Deo obedire parati, honestam rectamque vitam agunt, posse, DIVINAE LUCIS ET GRATIAE OPERANTE VIRTUTE, *aeternam consequi vitam.* Secundo autem quia nullibi pura ratio absque aliqua primitivae revelationis participatione unquam fuit, sed, unâ cum verbo traditionali implicata, consequenter eam fidem implicitam, quae, uti supra diximus, ad salutem sufficit, secum adnexam habere poterat[1].

1 Luculenter id exprimit cl. GHIRINGHELLO in opere cui titulus *La vita di Gesù,* etc. adversus E. RENAN, duabus 83-84 paginis, quae inseribi possunt *Cristo illuminatore dell'antichità, semi sparsi del Verbo, secondo Giustino:* « Come l'avvenimento è il miglior interprete della profezia, l'antitipo del tipo, la realtà della figura; così *Cristo rifrange i suoi raggi sino all'Eden,* protendendoli fino al compimento de'secoli, al giorno glorioso e tremendo della sua seconda venuta. Epperò la sua morale, anzichè uno spicilegio di aforismi e di apoftegmi, è un principio generatore che serve di guida e di faro per raccogliere i varî frammenti d'etica morale e tradizionale dispersi nella gentilità. Ed è acconcia a raccoglierli, per ciò appunto che è atta a generarli; non essendo una forma collettiva, ma un' unità primordiale e generatrice, non bisognosa di stranieri elementi: seppure si possono così chiamare quei semi di morale, che, sebbene soffocati spesso ed isteriliti dalle male erbe dell'ignoranza e della cupidigia, *germogliano però naturalmente nel cuor umano, suscitati che sono dalla luce di quel Verbo, il quale, come illumina tuttavia ogni mortale, così raggiò vivissimo alla mente ed al cuore del comun progenitore che ne tramandò la memoria e l'insegnamento ai più tardi nipoti;* di quel Verbo che colla luce e col calore di patriarcale, legislativa e profetica ispirazione crebbe quei semi, e li svolse perennemente, sinchè, fatto carne, li maturò conducendoli a quella perfezione che esemplò in sè stesso... E quanto abbiamo discorso intorno alla morale, si applica egualmente alla dogmatica, sì razionale sì soprarazionale, *e singolarmente all'aspettazione universale d'un mediatore divino, e d'una morale rigenerazione; credenze e speranze più o meno comuni a tutti i tempi e a tutti i luoghi, ma sincere, connesse e vieppiù vigoreggianti e svolgentisi presso il solo Israele...»* Recte etiam cl. FREPPEL in opere cui titulus, *St-Justin, Cours d'Eloquence sacrée fait à la Sorbonne pendant l'année* 1858-1859, animadvertit participationem Verbi, qua frui potuerunt ethnici, tum eam

Quibus praemissis, sancti Doctoris verba ex ordine proferamus.

41. In Apologia prima, n. XLVI, praeoccupans obiectionem quae desumitur ex nimis tardo et dilato adventu Christi in hunc mundum (eaque ipsissima est quam nos tractamus), respondet Christum etiam anteactis temporibus illuxisse, quippe ille est ipsa ratio cuius omne hominum genus particeps est, et quotquot secundum illam rationem vixerunt fuisse christianos, quales apud Graecos (nempe apud ethnicos qui communiter sub hac Graecorum appellatione comprehenduntur) fuerunt Socrates et Heraclitus *aliique ipsorum similes* (haec verba ex textu graeco addenda sunt), apud Barbaros autem (nempe apud Iudaeos qui a Graecis barbari reputabantur) Abraham, Ananias, etc. En ipsius verba profecto digna quae attente perpendantur: « Ne qui autem a » recto discursu aberrantes, ad ea quae docuimus detor- » quenda, Christum dicant ante annos centum et quinqua- » ginta natum a nobis dici sub Cyrenio, ac post illud » tempus ea docuisse, quae ipsum docuisse dicimus, sub » Pontio Pilato; indeque consequi obiiciant, ut insontes sint » homines omnes qui ante illud tempus fuere; dubitationis » solutionem occupabimus. Christum[1] Primogenitum Dei esse » ac Rationem illam (λόγον, *Verbum*) *cuius omne hominum*

intelligendam esse quae habebatur per rationem, tum eam quae ex divina revelatione exteriori primitus tradita derivabat (ibid. XVIe Leçon, pag. 323, seq.); sicuti et nos paulo post ex ipso Iustino demonstrabimus infra num. 46.

1 Τὸν Χριστὸν πρωτότοκον τοῦ Θεοῦ εἶναι ἐδιδάχθημεν, καὶ προεμηνύσαμεν λόγον ὄντα, οὗ πᾶν γένος ἀνθρώπων μετέσχε· καὶ οἱ μετὰ λόγου βιώσαντες, Χριστιανοί εἰσι, κἂν ἄθεοι ἐνομίσθησαν· οἷον ἐν Ἕλλησι μὲν Σωκράτης καὶ Ἡράκλειτος, καὶ οἱ ὅμοιοι αὐτοῖς, ἐν βαρβάροις δὲ Ἀβραάμ . . . καὶ ἄλλοι πολλοί, ὧν τὰς πράξεις ἢ τὰ ὀνόματα καταλέγειν μακρὸν εἶναι ἐπιστάμενοι, ταννῦν παραιτούμεθα· ὥστε καὶ οἱ προγενόμενοι ἄνευ λόγου βιώσαντες, ἄχρηστοι καὶ ἐχθροί τῷ Χριστῷ ἦσαν, καὶ φονεῖς τῶν μετὰ λόγου βιούντων· οἱ δὲ μετὰ λόγου βιοῦντες, Χριστιανοὶ καὶ ἄφοβοι, καὶ ἀτάραχοι ὑπάρχουσι.

» *genus particeps est* didicimus, et supra declaravimus[1]. Et » qui cum Ratione (*μετὰ λόγου, cum Verbo*) vixerunt, chri- » stiani sunt, etiamsi athei existimati sint; quales apud » Graecos fuere Socrates et Heraclitus; apud Barbaros au- » tem Abraham, Ananias, Azarias, Misaël et Elias, ac multi » alii, quorum actionibus aut nominibus recensendis, quia » longum id esse scimus, nunc supersedemus. Similiter qui » olim absque Ratione (*ἄνευ λόγου, absque Verbo*) vixere, » improbi et Christo inimici fuere, et eorum, qui cum Ra- » tione (cum Verbo) vivebant, homicidae. Qui vero cum » Ratione (cum Verbo) vixerunt et vivunt, christiani sunt, » atque impavidi et intrepidi[2] ».

12. Absone prorsus Maurinus editor operum S. Iustini, ex nimis angusta, ut puto, et particularistica theologia, ad alium sensum verba S. Doctoris trahere conatur in Praef., part. II, cap. VII, n. 5, contendens in hoc loco nil aliud voluisse demonstrare Iustinum, quam minime insontes fuisse, ideoque iuste fuisse a Deo damnatos, qui ante Christum in gentibus vixerunt, non autem voluisse expendere quomodo salutem assequuti sint (ceterum, non *quomodo salutem assequuti sint,*

1 « Iam saepe Iustinus de Verbo loquutus est, praecipue vero num. 5, 10, 12, 23, 32. Sed Christum esse Rationem illam cuius omnes homines sunt participes praecipue docet in Apologia secunda n. 7 et 9 ». Ita editor Maurinus ad hunc locum. Ceterum haec Iustini doctrina desumpta dignoscitur ex Ioann. I, 4, ubi de Verbo dicitur quod *erat lux hominum.*

2 Simile quid habet ibid. num. V, ubi Socratem, ex recta ratione ex Verbo idololatriae conviciatorem, invidia daemonum fuisse morte mulctatum, sicuti postea martyres Christiani fuere, affirmat. « Postquam » Socrates, vera ratione (λόγῳ ἀληθεῖ) et exquisita, haec in lucem proferre » (nempe malorum daemonum fraudes) et a daemonibus homines abdu- » cere conatus est, ipsi daemones, hominum nequissimorum opera, per- » fecerunt, ut velut atheus et impius necaretur, nova ab eo daemonia » induci dictitantes. Hoc idem pariter contra nos moliuntur. Neque » enim apud Graecos solum *haec a Verbo per Socratem convicta*, sed » apud Barbaros etiam *ab ipso illo Verbo forma induto et homine » facto, ac Iesu Christo appellato* ».

sed, *quomodo assequi potuerint,* quaestio est): nam respondemus ideo Iustinum probare minime insontes fuisse reliquos, ideoque iuste fuisse poenis gehennae addictos eos, *qui absque ratione vixerunt,* quia aliqui reipsa, tum ex Graecis, tum ex Barbaris, veluti Socrates et Abraham, aliique, *secundum illam Rationem quae Christus est vixerunt, et hoc sensu fuerunt christiani*, quod et alii facere potuissent. Nec tamen inde sequitur, quod metuit editor Maurinus, Iustinum concessisse salutem gentilibus *absque* CHRISTO, nam ex hoc ipso S. Doctor demonstrat quod potuerint consequi salutem, quia Christi, idest Verbi, participes facti fuerunt.

Profundum Iustini sensum plane non assequutum esse editorem Parisiensem demonstrant haec ipsius verba: « Si Iustinus salutem aeternam philosophis qui ante Christum fuerant concessisse dicitur, eadem illi erga eos qui post Christum fuere, et ipsi Iustino aequales erant, lenitas et indulgentia erit attribuenda; nam de utrisque dicit: *qui cum ratione vixerunt et vivunt, christiani sunt, atque impavidi et intrepidi* ». Non vidit Maurinus interpres Iustinum in hisce verbis, sub nomine *eorum qui nunc vivunt cum Ratione,* designasse non philosophos sibi coaevos, sed ipsos christianos novi foederis, qui, cum ratione viventes, impavidi erant in persecutionibus, sicut illi christiani veteres fuerant. Et praeterea, etsi daremus sanctum doctorem iis verbis innuisse philosophos suae aetatis nondum credentes in Christo, sed tamen cum Ratione viventes, ac Christum in carne venisse nondum cognoscentes, nihil esset absurdi quod erga eos quoque par lenitas et indulgentia Iustino tribueretur ac erga illos qui Christi adventum praecesserunt; etenim quotquot invincibiliter Christum ignorant, pertinere quodammodo ad aevum antechristianum censendi sunt, uti diximus sup. num. 29 [1].

1 Quanto altius et verius mentem et doctrinam S. Doctoris penetravit et dilucide ac nobiliter expressit cl. FREPPEL, *op. cit.* pag. 316 et seqq. cuius verba sane praeclarissime et perpulcre dicta meipsum

13. Iterum S. Doctor in Apologia secunda, n. x-xiii, rationem explicans cur daemones in christianos persecutiones excitarent, ostendit semper « odio habitos fuisse qui quovis modo » secundum Rationem (idest *Verbum*, λόγον) vivere, et vitium » fugere studuerunt » etiam inter gentes; in qua occasione illos Verbi participes fuisse diserte asserit, etsi non ex toto sicut nos, sed ex parte tantummodo illud cognoverint, et Socratem cognovisse ex aliqua parte Christum expressis verbis pronunciat. Sed ipsum loquentem audiamus.

« Quia Stoici, inquit n. viii, in his saltem quae de moribus » dixerunt, praeclare sese habuerunt, id quod poëtis interdum » contigit *propter insitum omni hominum generi rationis se-* » *men*[1], eos, qui ab hac disciplina profecti sunt, odiis fla- » grasse et occisos esse scimus. Heraclitum quidem, ut antea » diximus, et Musonium in his qui nostra aetate floruerunt, et » alios novimus. Fecere enim semper atque effecere daemones, » quemadmodum demonstravimus, *ut, qui quovis modo secun-* » *dum Rationem vivere et vitium fugere studerent, ii omnes* » *odio haberentur*. Minime autem mirum, si, *qui non ad par-* » *tem aliquam Rationis disseminatae* (σπερματικοῦ λόγου) *vitam* » *instituere student, sed ad totius Verbi* (τοῦ παντὸς λόγου) *idest* » *Christi cognitionem et contemplationem*, in eos multo maiora » convicti daemones odia concitent »[2]. Ubi vides Iustinum eiusdem Verbi cognitionem tribuisse ethnicis et christianis, illis ex parte, istis ex toto.

Inde sequitur (n. x): « Liquet ergo res nostras esse omni » humana doctrina sublimiores, *quia quidquid ad Verbum*

cohibere non possum, quin referam ad calcem huius dissertationis in Appendice *B*.

1 ... διὰ τὸ ἔμφυτον παντὶ γένει ἀνθρώπων σπέρμα τοῦ λόγου.

2 Πάντας τοὺς κἂν ὁπωσδήποτε κατὰ λόγον βιοῦν σπουδάζοντας, καὶ κακίαν φεύγειν, μισεῖσθαι ἀεὶ ἐνήργησαν οἱ δαίμονες· οὐδὲν δὲ θαυμαστόν, εἰ τούς (οὐ) κατὰ σπερματικοῦ λόγου μέρος, ἀλλὰ κατὰ τὴν τοῦ παντὸς λόγου, ὅ ἐστι Χριστοῦ, γνῶσιν καὶ θεωρίαν πολὺ μᾶλλον μισεῖσθαι οἱ δαίμονές ἐλεγχόμενοι ἐνεργοῦσιν.

» (Rationem, *λόγον*) *pertinet*, *id exstitit Christus qui pro » nobis apparuit*, nempe corpus et Verbum et anima. Quae» cumque enim praeclare unquam dixerunt aut excogitaverunt » philosophi aut legumlatores, *haec*, *invento et considerato » aliqua ex parte Verbo*, *elaborarunt:* sed, *quia non omnia » quae sunt Verbi, idest Christi, cognoverunt*, persaepe secum » ipsis pugnantia dixerunt. Et *qui Christo secundum humanam » naturam antiquiores* [1] unamquamque rem ratione (*λόγῳ*, » *Verbo*) investigare aut refellere aggressi sunt, ii ut impii » et curiosi in iudicium adducti fuere. *Quorum omnium longe » firmissimus hac in re Socrates* in eadem ac nos crimina » vocatus est; nova enim dixerunt daemonia ab eo induci, » et quos civitas existimat deos, ab eo non existimari [2]... » Socrati quidem (verum Deum praedicanti et falsos deos » e civitate eiicienti) nemo tantum habuit fidei, ut pro hac » sententia mortem oppeteret. Christo autem, *quem Socrates » aliqua ex parte cognovit* (*erat enim et est Verbum illud » omnia pervadens*, *quod et per Prophetas futura praedixit*, » *et per seipsum*, *cum natura nostra suscepta haec doceret)*, » Christo, inquam, non philosophi solum et literati homines » crediderunt, sed operarii etiam et omnino imperiti, etc. » [3]. Quae Iustini verba luce clariora sunt ad demonstrandum quod in ipsius sententia Socrates et alii sapientes vel probi inter ethnicos ipsum nostrum Christum, non quidem qua talem,

1 *Και οἱ προγεγραμμένοι* (*προγεγενημένοι?*) *τοῦ Χριστοῦ κατὰ τὸ ἀνθρώπινον κ. τ. λ.* Haec etiam verba notabilia sunt, quia innuunt sapientes illos praecessisse quidem Christum *secundum humanam ipsius naturam*, sed secundum divinam Christi naturam illo posteriores esse et ab illo edoceri potuisse.

2 Quamsimillima dixerat Iustinus in Apologia prima num. V; vide ipsius verba quae paulo ante retulimus pag. 45 nota 2.

3 *Χριστῷ δὲ τῷ καὶ ὑπὸ Σωκράτους ἀπὸ μέρους γνωσθέντι (λόγος γὰρ ἦν καὶ ἔστιν ὁ ἐν παντὶ ὤν, καὶ διά τῶν προφητῶν προειπὼν τὰ μέλλοντα γίνεσθαι, καὶ δἰ ἑαυτοῦ ὁμοιοπαθοῦς γενομένου καὶ διδάξαντος ταῦτα) οὐ φιλόσοφοι οὐδὲ φιλόλογοι μόνον ἐπείσθησαν, ἀλλὰ καὶ χειροτέχναι, καὶ παντελῶς ἰδιῶται κ. τ. λ.*

sed qua Verbum, licet hoc etiam ex parte tantum, cognoverint, qua cognitione posita, si cetera invincibiliter ignorassent, naturalem legem eiusque praecepta servassent, Deo obedire parati, *divinae lucis et gratiae operante virtute*, aeternam consequi salutem potuissent.

Tandem in n. XIII ideo asserit nostra esse christianorum quaecumque vera et praeclara apud philosophos reperiuntur, quia ex Verbo, idest ex nostro Christo, qui propter nos homo factus est ut perpessionum nostrarum particeps medicinam illis faceret, desumpta fuerunt. En ipsius verba: « Ut quisque enim » disseminatae Rationis divinae (*τοῦ σπερματικοῦ θείου λόγου*) » partem aliquam sibi cognatam videbat, praeclare locutus » est [1] ...... Quaecumque igitur apud alios omnes praeclare » dicta, ea nostra sunt Christianorum [2] ...... Omnes enim » scriptores per insitum rationis semen (*διὰ τῆς ἐνούσης τοῦ » λόγου σπορᾶς*) potuere illi quidem verum videre, sed sub- » obscure. Aliud enim est semen alicuius et imitatio pro » viribus concessa, aliud ipsum illud cuius communicatio et » imitatio secundum ipsius gratiam conceditur » [3].

44. Quomodo autem ex hoc n. XIII editor Maurinus *(ibid.)* arguere velit Iustinum nequaquam concessisse ethnicis possibilitatem salutis, plane non video: etenim quod non tribuerit gentibus plenam et perfectam Verbi cognitionem, id certum est, et quis negare contenderit? Sed numquid ex eo sequitur ipsum non tribuisse illis possibilitatem aliqualis cognitionis Verbi et coniunctionis cum Christo, quae sufficeret ad salutem? Nec obstat quod in eodem n. XIII dicat Iustinus quod Verbum « propter nos homo factum est ut perpessio-

1 *Ἕκαστος γὰρ τις ἀπὸ μέρους τοῦ σπερματικοῦ λόγου θείου τὸ συγγενὲς ὁρῶν καλῶς ἐφθέγξατο.*

2 *Ὅσα οὖν παρὰ πᾶσι καλῶς εἴρηται, ἡμῶν τῶν Χριστιανῶν ἐστί.*

3 *Οἱ γὰρ συγγραφεῖς πάντες διὰ τῆς ἐνούσης ἐμφύτου τοῦ λόγου σπορᾶς, ἀμυδρῶς ἐδύναντο ὁρᾷν τὰ ὄντα· ἕτερον γάρ ἐστι σπέρμα τινὸς καὶ μίμημα κατὰ δύναμιν δοθὲν, καὶ ἕτερον αὐτὸ οὗ κατὰ χάριν τὴν ἀπ' ἐκείνου ἡ μετουσία καὶ μίμησις γίνεται.*

num nostrarum particeps effectum medelam illis faceret ». quis enim non sciat neminem sanari nisi per Christum, et nisi cum Christo aliqualiter coniungatur? Sed ideo Iustinus demonstrat Socratem, aliosque, sicut et Iudaeorum patriarchas, potuisse cum Christo coniungi etiam antequam ipse nasceretur in carne; et hoc negare non erit ausus editor Maurinus.

45. Ne dicas autem in hisce omnibus Iustinum plus aequo rationalistis concedere: nam primo, Iustinus bonum de quo agit non tribuit rationi subiectivae hominis, sed Verbo Dei quod illam obiective illuminat; et insuper, si attente consideres, salutem repetit non praecise ex Verbo quatenus in sua aeternitate manet et illuminat omnem hominem secundum naturam et rationem naturalem, sed quatenus illud ipsum, in medio annorum propter nos homo factum, suis perpessionibus nobis attulit medelam, quapropter communicasse ethnicos cum Verbo, idem est ac ipsos communicasse cum Christo, qui totius generis humani Salvator est. Iam vero rationalista ille dicitur et est qui negat incarnationem et redemptionem Filii Dei, eiusque necessitatem ad salutem, non autem ille, qui, salutem humani generis a Christi incarnatione et redemptione unice repetens, solum inquirit, quaenam fuerint conditiones requisitae ad illam redemptionem participandam, et definit gentes ex Verbi coniunctione potuisse utcumque has conditiones habere; ipsiusque doctrina non absimilis est ab ea quam supra n. 29 retulimus ex D. Thoma, tum de Iudaeis popularibus, tum de Gentilibus disserente, qui certe quam longissime abfuit a rationalismo.

46. Ceterum in Cohortatione ad Graecos, n. xiv et seq., idem Iustinus[1] sapientiam ethnicorum a traditione primitivae revelationis Dei apud ipsos superstite repetit, qua facta suppositione, ethnicos aeque ac Israëlitas potuisse sal-

1 Eumdem Iustinum huius operis auctorem fuisse tuetur cl. Freppel loc. cit. pag. 165 seq.

vari per fidem implicitam in Christum venturum nemo dubitabit. En ipsius verba: « Necessarium est, o Graeci, ut futura prospicientes, ac illud non a piis solum, sed etiam ab externis praedicatum iudicium intuentes, non iam maiorum errori citra examen adhaereatis . . .; sed, periculum offendendi in re tanti momenti respicientes, *ea etiam quaeratis et accurate investigetis quae a vestris, ut ipsi dicitis, magistris dicta sunt. Nam et ipsi divina rerum humanarum providentia coacti sunt multa nobiscum facientia vel inviti dicere, ii praesertim qui in Ægypto versati sunt, et ex Mosis eiusque maiorum religione utilitatem perceperunt* ». Quamvis enim auctor *Cohortationis ad Graecos* in hoc erraverit (uti mox de Clemente Alexandrino dicemus) quod putavit Graecos de revelatione Mosaica participasse, cum potius eos a revelatione primitiva sumpsisse credendum sit, tamen substantialiter verum docuit, gentes divinae revelationis fuisse participes, ideoque fidem implicitam habere potuisse [1].

Clemens Alexandrinus.

47. Totos fere libros oporteret exscribere, quos insignis iste ecclesiae Alexandrinae catecheta *Stromata* inscripsit, praesertim vero primum, quintum et sextum, si plenissime vellemus ipsius sensa de natura et conditionibus gentilismi circa veritatis cognitionem et salutis possibilitatem depromere. Ad nostrum vero propositum institutum sufficiet pauca quaedam decerpere, illud antea monentes non omnia fortasse quae hic scriptor dicit nos velle approbare, sed solum historico modo quid ipse senserit referre.

48. Et primo, gentes a divina providentia non fuisse desertas expresse dicit in n. v libri I, quibus philosophiam

1 At vero de hisce, et de iis quae sequuntur, omnino consulendus est cl. Freppel op. cit. a pag. 316 ad pag. 333. Vide Appendice *B* ad finem huius dissertationis.

dedit Deus, sicut Legem dederat Hebraeis, tamquam paedagogum ad Christum, et utramque ad Deum, qui omnium bonorum causa est, esse referendam. Quod autem de philosophia dicit Clemens, idem de recta ratione, quae etiam in vulgaribus inesse poterat, et quod de Graecis, idem de ethnicis generatim esse intelligendum, res est manifesta. « Atque erat » quidem, inquit, ante Domini adventum philosophia Graecis » necessaria ad iustitiam; nunc autem est utilis ad pietatem, » cui necessario praemittenda est ab iis qui fidem ex demonstratione percipiunt. Quoniam *pes tuus non offenderit*[1] » si quae bona sunt ad Dei providentiam referas, sive » graeca sint, sive nostra. Omnium enim bonorum Deus est » causa; sed aliorum quidem principaliter, ut Testamenti » Veteris et Novi, aliorum autem per consequentiam[2], sicut » philosophiae. Quam tamen verisimile est ipsum Graecis per » se dedisse, priusquam Dominus Graecos quoque vocasset. » Nam ipsa quoque Graecos *paedagogi more ducebat* sicut » *lex* Hebraeos *ad Christum*[3] .... Atque est una quaedam » via veritatis, sed in eam, tamquam in fluvium perennem, » alia aliunde fluenta influunt. Divine ergo dictum est: » *Audi, fili mi, et verba mea suscipe, ut sint tibi multae* » *viae vitae; vias enim sapientiae doceo te*[4] ». Ex quibus verbis vult Clemens intelligi quod ad Christum, qui veritas et sapientia est, per diversas vias perveniri potest; et Hebraei quidem ad illum ducebantur per legem datam divinitus, Graeci autem per philosophiam, quam pariter fuisse divinitus datam contendit.

1 *Prov.*, III, 23.

2 *Per consequentiam*, id est *mediate*; *principaliter* autem *immediate* significat; sed utrumque *directe*. Non itaque probanda mihi videtur in hac re interpretatio cl. Freppel qui sic distinguit ut primum significet *directe*, alterum *indirecte*; at sola verborum differentia est, nam *indirecte* pro *mediate* sumit. (V. *Clément d'Alexandrie*, p. 159).

3 *Gal.*, III, 24.

4 *Prov.*, IV, 10, 11.

Et tamen non in ipsa philosophia sicuti nec in lege Iudaeorum constitisse ipsam veritatem et salutem, quae per solum Christum habetur, diserte docet in fine huius n. v: « Hic vero id solum dicimus quod philosophia inquisitionem » veritatis contineat, ipsa autem veritas est de qua ipse dixit » Dominus: *Ego sum Veritas* ».

19. Similiter et in n. VII, eiusdem lib. I, docet: « praece» daneas illas liberales Graecorum disciplinas, una cum ipsa » philosophia, venire divinitus ad homines, non principaliter, » sed quemadmodum imbres erumpunt in terram bonam, et » in fimum, et super domos... Unus enim est (haec verba notabilia sunt) agricola terrae quae est in hominibus, qui caelitus » seminavit a constitutione mundi nutritia semina, qui per » unumquodque tempus Dominum Logon superimpluit; tem» pora autem et loca quae susceperunt, genuere differen» tiam »[1]. Sic igitur docet Clemens Deum philosophiam caelitus impluisse gentibus: « Philosophiam autem, subdit, » non dico Stoicam, nec Platonicam aut Epicuream, et Ari» stotelicam, sed quaecumque ab his sectis recte dicta sunt, » quae docent iustitiam cum pia scientia (*δικαιοσύνην μετὰ » εὐσεβοῦς ἐπιστημης ἐκδιδάσκοντα*), hoc totum selectum » dico philosophiam: cetera autem, quae ex humanis ratioci» nationibus deducta adulterarunt, ea nunquam divina di» xerim ».

Iterum quidem subdit non ex philosophia sed ex fide veram esse iustitiam: « sicut enim Abraham non ex ope» ribus iustificatus est, sed ex fide; sic nihil eis post vitae » finem proderit, etiamsi nunc recta operentur, nisi fidem » habeant; quapropter Graecorum lingua expositae sunt » Scripturae, ut nullum unquam ignorantiae possint prae» textum afferre, cum possint quae sunt apud nos audire,

(1) Εἷς γὰρ ὁ τῆς ἐν ἀνθρώποις γῆς γεωργὸς ὁ ἄνωθεν σπείρων ἐκ καταβολῆς κόσμου τὰ θρεπτικὰ σπέρματα· ὁ τὸν Κύριον καθ᾽ἕκαστον καιρὸν ἐπομβρίσας Λόγον· οἱ καιροὶ δὲ καὶ οἱ τόποι οἱ δεκτικοὶ τὰς διαφορὰς ἐγέννησαν.

» si tantum voluerint.... Est autem donum doctrina pie-
» tatis, gratia vero fides »: hoc tamen non impedit quominus philosophia esset gentibus via ad Christum divinitus data sicut lex Hebraeis: « *Aperite ergo*, inquit Scriptura,
» *portas iustitiae ut in eas ingressus confitear Domino*. Sed
» viae quidem ad iustitiam, cum Deus servet multis modis,
» est enim bonus, sunt multae et variae, et ferentes ad Do-
» minicam viam et portam.... Cum ergo multae apertae sint
» portae in iustitia, haec in Christo invenienda est, in quam
» beati omnes qui intrarunt, etc. ».

50. Deinde, in n. XIII et XIV eiusdem libri I, totam rem a supremo principio repetens, redit in id quod prius dixerat Iustinus, nempe doctrinas ethnicas, qua parte verae sunt, esse veluti totidem particulas et portiones dispersas unius Logi et eiusdem veritatis, nempe Christi, et veluti totidem haereses, a veteri christianismo divisas quidem, sed illius participes: unde sequitur quod, quemadmodum compertum est apud omnes theologos posse haereticos bonae fidei post Christum sufficienter ipsius Christi participes esse ad salutem, sic etiam et ante Christum ethnici esse potuerunt. En ipsius verba: « Cum
» una sit itaque veritas . . . . , quemadmodum Bacchae quae
» Penthei membra divulserunt ac distulerunt, philosophiae
» tam barbarae quam graecae haereses, unaquaeque id quod
» sortita est tamquam totam iactat veritatem. Lucis autem, ut
» opinor, exortu omnia illuminantur. Universi ergo Graeci
» ac Barbari (Hebraeos sub nomine barbarorum intelligit
» Clemens), qui veritatis studiosi fuere, tum illi qui non
» levem portionem, tum etiam alii qui exiguam particulam
» Logi veritatis assecuti sunt, in medium prodeant. Quod
» si seculum quidem partes temporis, futuras, praesentes,
» et praeteritas etiam, uno quasi momento simul repraesen-
» tat; certe veritas in propriis seminibus colligendis, etiamsi
» in terra aliena dispersa fuerint, longe potentior est quam
» seculum. Permulta enim invenimus ex his quae apud

» haereses probantur (apud eas scilicet sectas, quaecumque » non omnino sint absurdae, nec totaliter a naturali conse» quentia excisae, quemadmodum virum mulieres exscide» runt), quae, quamvis inter se dissimilia videantur, tamen » in genere et tota veritate conveniunt[1]. Aut enim ut mem» brum, aut ut species, aut ut genus, in unum coincidunt. » Quemadmodum summa chorda, licet sit imae contraria, » tamen ambae unam harmoniam edunt; et numerus par, » cum differat ab impari, in arithmetica tamen ambo conve» niunt; quemadmodum etiam in figurae ratione circulus, et » triangulus, et quadratus, et quaecumque aliae figurae inter » se differunt; quin etiam in mundo universo partes omnes, » etiamsi inter se differant, servant eam quae est cum toto » coniunctionem et convenientiam. Sic ergo et barbara et » graeca philosophia aeternae veritatis avulsam quamdam » particulam, non Bacchi mythologia, sed ex aeterni Logi » theologia, decerpsit: qui autem divisa rursus composuerit » et unum ex eis fecerit, scias futurum ut perfectum Logon, » Veritatem, citra periculum contempletur »[2]. Quae ipsissima sunt iis quae ex Iustino attulimus supra n. 43, ubi sanctus martyr affirmabat quod unusquisque ex parte videns id quod illi divini Verbi disseminati cognatum est, praeclare locutus fuit; et iterum quod Socrati Christus ex parte (*ἀπὸ μέρους*) cognitus fuit: sicuti etiam in maiore apologia affirmaverat Socratem, Heraclitum, et reliquos omnes secundum Logon vitam ducentes (*μετὰ λόγου βιώσαντας*) Christi participes fuisse, et quodammodo christianos.

51. Disertius vero rem pertractat Clemens in lib. VI *Stro-*

1 Ita hunc locum recte interpretatus est POTTER editor Oxoniensis, ut videre est in ipsius adnot. ad calcem pag. 349 edit. Venet. 1757.

2 Οὕτως οὖν ἥ τε βάρβαρος, ἥ τε Ἑλληνικὴ φιλοσοφία, τὴν ἀΐδιον ἀλήθειαν σπαραγμόν τινα, οὐ τῆς Διονύσου μυθολογίας, τῆς δὲ τοῦ Λόγου τοῦ ὄντος ἀεὶ θεολογίας πεποίηται· ὁ δὲ τὰ διῃρημένα συνθεὶς αὖθις, καὶ ἑνοποιήσας, τέλειον τὸν Λόγον ἀκινδύνως εὖ ἴσθ' ὅτι κατόψεται τὴν ἀλήθειαν.

mateon, ubi, postquam n. III pluribus indiciis demonstravit Graecos furatos esse ab Hebraeis veritatem, quod idem est ac veteris revelationis divinae fuisse participes [1], prosequitur n. V et VI demonstrans illos eumdem ac nos Deum cognovisse et coluisse, licet ritibus diversis, et provisorium quoddam fuisse Dei cum ipsis testamentum, sicut et cum Hebraeis antequam Christus veniret: et quamvis in his demonstrandis utatur frequenter libris apocryphis, scilicet *Praedicatione Petri* et *Actis Pauli*, nil hoc interest nostri, quibus unicum propositum est quaenam fuerint sensa Clementis exponere.

« Quod autem, inquit n. V, Deum noverint, non per agni-
» tionem, sed per qualemcumque eius manifestationem [2],
» Graecorum probatissimi, dicit Petrus in Praedicatione: *Co-*
» *gnoscite ergo unum esse Deum*, etc. Deinde subiungit: *Hunc*
» *Deum colite, non ut Graeci*, utpote quod eumdem quem nos
» colunt Deum viri probi apud Graecos, sed non perfecta co-
» gnitione, ut qui a Filio datam non didicerint traditionem.
» *Ne colatis*, inquit, *igitur*, non dixit *Deum quem Graeci*, sed
» *ne colatis ut Graeci*, cultus Dei mutans modum, non autem
» alium Deum annuncians... Et quod ita se habeat, utpote
» quod nos ipsi et Graeci eumdem Deum noverimus, sed non
» similiter, sic rursus (Petrus) infert hoc modo: *Neque colite*
» *ut Iudaei*. Deinde eius quod quaeritur infert colophonem:
» *Quare vos quoque sancte et iuste quae vobis tradimus di-*
» *scentes servate, noviter Deum per Christum colentes: in-*
» *venimus enim in Scripturis, sicut dicit Dominus: Ecce facio*
» *vobis testamentum novum, non ut feci patribus vestris in*

1 Recte animadvertit cl. Freppel (op. cit. pag. 145 seq.) errasse quidem Clementem, dum credidit ethnicos accepisse a revelatione Mosaica, dum e contra a revelatione primitiva potius doctrinas traxerunt; sed vere tamen docuisse illos divinae revelationis participes fuisse.

2 Οὐ κατ' ἐπίγνωσιν, ἀλλὰ κατὰ περίφασιν (vel περίφρασιν) vide de hac locutione ad not. 5, pag. 372 et pag. 730 edit. Venet.

» *monte Choreb*[1]. Novum[2] dedit nobis testamentum (sequitur Clemens verba allata ex Praedicatione Petri explicans); » quae enim sunt Iudaeorum et Graecorum sunt vetera. Nos » autem, qui nove ipsum tertio genere colimus, sumus Christiani. Aperte enim, ut arbitror, ostendit unum et solum » Deum *a Graecis quidem gentiliter, a Iudaeis autem iudaice,* » *nove autem a nobis cognosci et spiritualiter.* Praeterea autem » ostendit quod idem Deus suppeditavit utrumque testamentum, qui etiam Graecis dedit graecam philosophiam per » quam Omnipotens a Graecis gloria afficitur. Id autem hinc » quoque est manifestum. Ex graeca quidem certe disciplina » et ex legali (nempe iudaica) in unum genus populi, cui » salus datur, congregantur qui fidem admittunt, non tem» pore divisis tribus populis, ne quis triplices existimet na» turas, sed diversis eruditi testamentis, cum sint unius Do» mini, unius Domini verbo. Deinde quod, quemadmodum » Iudaeos Deus salvos esse voluit dans eis Prophetas, ita » etiam Graecorum spectatissimos in propria sua lingua pro» phetas exercitatos, prout capere poterant Dei beneficentiam, » a vulgo secrevit, praeter Petri praedicationem, declarabit » Paulus apostolus dicens: *Libros quoque graecos sumite*, » etc.... Sed ut in tempore nunc venit praedicatio (idest » Evangelium), ita in tempore data quidem est Lex et Prophe» tae barbaris (idest Iudaeis), philosophia autem Graecis, » (nempe ethnicis) aures assuefaciens ad praedicationem ».

52. Etiam hìc porro recognoscit scriptor doctissimus, utpote in christiana dogmatica rem satis manifestam, naturalem philosophiam et iustitiam, utcumque veram et divinitus datam, non potuisse sufficere ad aeternam quae per Christum obti-

1 IEREM. XXX, 31-32; *Hebr.* VIII, 8.

2 Νέαν (διαθήκην) ὑμῖν (ἡμῖν?) διέθετο· τὰ γὰρ Ἑλλήνων καὶ Ἰουδαίων παλαιά· ὑμεῖς δὲ (ἡμεῖς?) οἱ καινῶς αὐτὸν τρίτῳ γένει σεβόμενοι Χριστιανοί· σαφῶς γὰρ, οἶμαι, ἐδήλωσεν τὸν ἕνα καὶ μόνον Θεὸν, ὑπὸ μὲν Ἑλλήνων, ἐθνικῶς· ὑπὸ δὲ Ἰουδαίων Ἰουδαϊκῶς· καινῶς δὲ ὑπὸ ἡμῶν καὶ πνευματικῶς γινωσκόμενον.

netur salutem, sed fidem fuisse necessariam: « Nam iis qui-
» dem, inquit, qui iusti erant ex Lege, fides deerat; et ideo
» cum eos curaret Dominus dicebat: *Fides tua te salvum*
» *fecit.* Iis autem qui iusti erant ex philosophia non solum
» opus erat fide in Dominum, sed etiam ut discederent a
» cultu simulacrorum ». At vero, praeterquamquod, ut patet, eumdem fidei defectum notat etiam in Iudaeis, quos tamen in statu possibilitatis fuisse consequendae salutis minime dubitatur, hypothesim etiam admittit quod propter hanc ipsam necessitatem Deus, qui vult omnes homines salvos fieri, gentilibus concesserit huius fidei praedicationem et possibilitatem conversionis etiam post mortem: « Iam vero, prosequitur, revelata eis (gentilibus) veritate, ipsi quoque poeni-
» tentia ducti sunt propter ea quae fecerant. Quamobrem
» praedicavit Dominus iis quoque qui erant apud inferos ».
Quae hypothesis, utcumque falsa et reprobanda videatur [1] (multo enim aptius resolvitur difficultas alterutro ex duobus mediis quae super innuimus ex D. Th. num. 28 et 29, ponendo scilicet vel Deum supernaturaliter fidem daturum infedelibus negativis ante ipsorum mortem, vel ipsos iam fidem implicitam sufficienter habuisse Redemptoris), tamen totus sermocinationis ipsius contextus satis ostendit ethnicas nationes, iuxta Clementem, quamvis forent extra corpus visibile externae societatis divinae, non ideo omnino extra divinae providentiae et misericordiae influxum fuisse constitutas; et Deum potuisse, mediis sibi cognitis et placitis, non quidem ex iustitiae debito, sed ex congrua dispensatione misericordiae, probos ex gentilibus perducere ad salutem, adeo ut, neminem unquam propter solam infidelitatem negativam, ex divina misericordia, periisse, eoque minus positive condemnatum fuisse, statui ac defendi queat.

1 Vide quae de hac Clementis hypothesi praeclare scribit cl. FREPPEL in volumine cui titulus *Clément d'Alexandrie* pag. 166 seq. cuius verba nos referimus infra in Append. *C.*

53. En itaque quomodo perceleber iste scholae Alexandrinae doctor hypothesim praedictam demonstrare studeat in num. VI libri VI: « Ostensum est in secundo quoque stromate, inquit, » Apostolos ad instar Domini iis quoque qui erant apud inferos » annunciasse Evangelium.... Operatur autem [1], ut existimo, » Servator; quandoquidem eius est opus salvum facere; » quod quidem certe fecit, eos, qui in ipsum voluerint cre- » dere, per praedicationem ubicumque essent trahendo ad » salutem. Si ergo Dominus nulla alia de causa descendit ad » inferos, quam ut annunciaret Evangelium, sicut certe de- » scendit; aut descendit ut annunciaret omnibus, aut solis » Hebraeis. Atque, si omnibus quidem, salvi erunt omnes » qui crediderunt in eum, etiamsi sint ex gentibus, cum » iam illic confessi fuerint; sunt enim salutares, et quae » erudiunt, Dei castigationes, adducentes ad conversionem, » et potius poenitentiam peccatoris eligentes quam mortem; » idque praecipue, cum possint animae purius perspicere quae » sunt liberae a corporibus..... Sin autem Christus Iudaeis » solum annunciavit Evangelium, quibus defuit ea quae est » per Servatorem agnitio et fides, clarum est utique, quod, » cum apud Deum nullus sit personarum respectus, Apostoli » quoque, sicut hìc, ètiam illic annunciarunt Evangelium iis » qui ex gentibus erant apti ad conversionem... Dicit etiam » Evangelium multa quae dormierant surrexisse corpora, ut » quae videlicet translata essent ad meliorem locum. Fuit » ergo [2] generalis quidam motus et translatio per Servatoris

1 Ἐνεργεῖ δὲ, οἶμαι, καὶ ὁ σωτὴρ, ἐπεὶ τό σώζειν ἔργον αὐτοῦ· ὅπερ οὖν καὶ πεποίηκεν τοὺς εἰς αὐτόν πιστεῦσαι βεβουλημένους διὰ τοῦ κηρύγματος, ὅποί ποτ' ἔτυχον γεγονότες, ἑλκύσας εἰς σωτηρίαν.

2 Γέγονεν ἄρα τις καθολικὴ κίνησις καὶ μετάθεσις κατὰ τὴν οἰκονομίαν τοῦ σωτῆρος: δίκαιος τοίνυν δικαίου, καθὸ δίκαιος ἐστιν, οὐ διαφέρει· ἐάν τε νομικὸς ᾖ, ἐάν τε Ἕλλην· οὐ γαρ Ἰουδαίων μόνων, πάντων δὲ ἀνθρώπων ὁ Θεὸς Κύριος, προσεχέστερον δὲ τῶν ἐγνωκότων πατήρ· εἰ γὰρ τὸ καλῶς βιοῦν, καὶ νομίμως ἐστὶ βιοῦν· και τὸ εὐλόγως βιοῦν, κατὰ νόμον ἐστὶ βιοῦν· ὀρθῶς δὲ βεβιωκότες οἱ πρὸ νόμου εἰς πίστιν ἐλογίσθησαν, καὶ δίκαιοι εἶναι ἐκρίθησαν· δῆλόν που καὶ τοὺς ἐκτὸς

» dispensationem. Iustus ergo non differt a iusto, quatenus » est iustus, sive is fuerit ex lege, sive graecus, non enim » Iudaeorum solum, sed etiam omnium hominum est Deus » Dominus, propinquius autem pater eorum qui cognoverunt. » Si enim honeste vivere, est etiam legitime vivere, et ra- » tionabiliter vivere, est vivere secundum legem, qui autem » recte vixerunt ante legem in fidem sunt reputati et iusti » sunt iudicati; clarum est quod ii etiam qui, cum extra » legem essent, recte vixerunt per vocis proprietatem[1], etiamsi » in inferis essent et in custodia, exaudita voce Domini, vel » ipsa per se, vel etiam quae operabatur per apostolos, mox » conversi fuerint et crediderint... Sic existimo ostendi bonum » quidem esse Deum; potentem vero Dominum salutem dare » cum iustitia et aequalitate in eos qui convertuntur, sive » hîc, sive etiam alibi..... Duodecim discipulos....., quos voluit » apostolos fieri, Dominus elegit, mittens in mundum ad an- » nunciandum Evangelium..... ut qui audierint et crediderint » salvi fiant; qui autem non crediderint, cum audiverint, fe- » rant testimonium, ut qui non possint se excusare dicendo: » *Non audivimus*. Quid ergo? non etiam apud inferos fuit ea- » dem oeconomia ac dispensatio ut illic quoque omnes animae, » audita praedicatione, aut ostendant poenitentiam, aut pro- » pterea quod non crediderunt, iustum fateantur esse suppli- » cium? Esset autem non levis iniquitatis eos qui ante adven- » tum Domini excessissent, cum nec eis fuisset annunciatum

νόμου γενομένους, διὰ τὴν τῆς φωνῆς ἰδιότητα ὀρθῶς βεβιωκότας, εἰ καὶ ἐν ᾅδου ἔτυχον ὄντες καὶ ἐν φρουρᾷ, ἐπακούσαντας τῆς τοῦ κυρίου φωνῆς, εἴτε τῆς αὐθεντικῆς, εἴτε καὶ τῆς διὰ τῶν ἀποστόλων ἐνεργούσης, ᾗ τάχος, ἐπιστραφῆναί τε καὶ πιστεῦσαι· μεμνήμεθα γὰρ ὅτι δύναμις τοῦ Θεοῦ ἐστιν ὁ Κύριος, καὶ οὐκ ἄν ποτε ἀσθενήσαι δύναμις· οὕτως οἶμαι δείκνυσθαι, ἀγαθὸν μὲν τὸν Θεὸν, δυνατὸν δὲ τὸν Κύριον, σώζειν μετὰ δικαιωσύνης καὶ ἰσότητος τῆς πρὸς τοὺς ἐπιστρέφοντας, εἴτε ἐνταῦθα, εἴτε καὶ ἀλλαχότι. οὐ γὰρ ἐνταῦθα μόνον ἡ δύναμις ἡ ἐνεργετικὴ φθάνει, πάντῃ δέ ἐστι, καὶ ἀεὶ ἐργάζεται.

1 Διὰ τὴν τῆς φωνῆς ἰδιότητα, obscura verba in quibus non immoramur, quia ad nostrum propositum non faciunt.

» Evangelium, nec in credendo vel non credendo ulla posset
» in eos culpa conferri, vel salutem assequi vel puniri. Neque
» enim fas est illos quidem indicta causa fuisse condemnatos,
» solis autem eis, qui fuerunt post eius adventum, frui divina
» licuisse iustitia... Quemadmodum ergo pretiosus est populus
» Domino, ita populus sanctus omnis est cum iudaeo etiam
» is qui ex gentibus convertitur, qui praedicebatur proselytus.
» Merito ergo dicit scriptura *bovem et ursam*[1] simul futuros
» (nempe iudaeum et gentilem)... *Non enim personam re-*
» *spicit et revereter qui est omnium Dominus*[2]. Et ideo dicit:
» *Annunciate in gentibus studia eius*[3] ne iniuste iudicentur.
» Si ergo iis qui erant in carne propterea annunciavit Evan-
» gelium ne iniuste condemnarentur, quomodo non iis etiam,
» qui excesserunt ante eius adventum, propter eamdem an-
» nunciavit causam. *Iustus enim Dominus et iustitiam dile-*
» *xit,* etc.[4] » Quae doctoris Alexandrini verba demonstrant quam alte semper insederit mentibus Christianorum sententia illa, quam nuper proclamavit supremus Ecclesiae rector et magister: « Cum Deus, qui omnium mentes, animos, cogitationes, habitusque intuetur, scrutatur et noscit, *pro summa sua bonitate et clementia minime patiatur quempiam aeternis puniri suppliciis qui voluntariae culpae reatum non habent* ».

54 Deinde Clemens Graecorum philosophiam, quoad id quod continet veri, ab Verbo Dei deducit hoc modo, ib. num. VII: « Quod si ita est, ex disciplina cognitio et scientia. Si
» est autem disciplina, necesse est quaerere magistrum. Nam
» Cleanthes quidem sibi magistrum adscribit Zenonem... et
» Plato Socratem. Sed et si venero ad Pythagoram... et primos
» sapientes, consisto eorum quaerens magistrum. Et seu di-

1 ISAI., XI, 7.
2 *Sap.*, VI, 7.
3 PS., IX., 11.
4 PS., X, 7.

» xeris Ægyptios, sive Indos..., non cessabo eorum doctorem » requirere. Porro autem te quoque deduco ad primum ortum » hominum, et illinc incipio quaerere quis fuerit magister? » Nullus quidem ex hominibus, nondum enim didicerant. Sed » nec aliquis ex angelis, etc... Iam vero angelos quoque » accepimus didicisse veritatem.... Restat ergo ut nos quoque » ascendentes, eorum desideremus doctorem. Quoniam autem » unum est ingenitum, nempe Deus omnipotens, unum est » etiam praegenitum *per quod omnia facta sunt*...[1] Is dictus » est Sapientia ab omnibus Prophetis. Is est magister om- » nium... Is autem[2] ab alto a prima mundi constitutione *mul-* » *tifariam multisque modis*[3] et docuit et perficit... Vides un- » denam ansas acceperit vera philosophia... Quomodo ergo[4] ad » Deum creatorem omnis recurrit cognatio (πατριά, ut in epist. ad Ephes., III, 15), ita etiam ad Dominum omnis eorum » quae bona sunt et honesta doctrina, et quae iustificat, et quae » ad hoc deducit et fert opem[5]. Si qui autem semina veritatis » quomodocumque accepta non enutrierunt, sed, terrae sterili » et aridae mandantes, ea herbis suffocarunt agrestibus, quo- » modo pharisaei a lege declinarunt, doctrinas humanas in- » ducentes, non est causa magister, sed qui perperam au- » dire voluerunt... Petrus quoque in Actis[6] (prosequitur Clemens *ibid*, n. VIII): *In veritate comprehendo*, inquit, *quod* » *Dominus non acceptor personarum, sed in omni gente qui*

1 IOANN. I, 3.

2 Ὁ δὲ ἄνωθεν ἐκ πρώτης καταβολῆς κόσμου πολυτρόπως καὶ πολυμερῶς πεπαίδευκέν τε καὶ τελειοῖ.

3 Hebr., I, 1.

4 Ὡς οὖν ἐπί τὸν ποιητὴν τὸν θεὸν πᾶσα ἀνατρέχει πατριά, οὕτως καὶ ἐπὶ τὸν Κύριον ἡ τῶν καλῶν διδασκαλία, καὶ ἡ δικαιοῦσα, καὶ εἰς τοῦτο χειραγωγοῦσά τε καὶ συλλαμβάνουσα.

5 Nempe ad Dominum auctorem referenda est omnis doctrina eorum quae vere bona sunt et honesta, tum doctrina illa quae iustificat per fidem, tum illa quae ad iustificationem disponit.

6 *Act. Ap.*, x, 34, 35.

» *timet ipsum, et operatur iustitiam, est ei acceptus.* Non
» tempore ergo perfectum est[1] ut Deus personas non re-
» spiceret, sed id fuit ab aeterno. Neque vero coepit un-
» quam eius beneficentia, sed neque circumscribitur certis
» locis vel hominibus. Neque enim particularis est eius be-
» neficentia. Aperite mihi, inquit, *portas iustitiae*[2]... Pro-
» phetae autem dictum exponens Barnabas infert: *Cum multae*
» *portae sunt apertae*... Eidem sententiae adhaeret illud quo-
» que propheticum: *Dominus*[3] *super aquas multas*[4], quod si-
» gnificat non solum testamenta diversa, sed etiam diversos
» modos doctrinae, qui scilicet inter Graecos adducunt ad iu-
» stitiam, et qui inter Barbaros. Quin etiam aperte psallit
» David, veritati ferens testimonium: *Avertantur peccatores in*
» *infernum, omnes gentes quae obliviscuntur Dei*[5]: obliviscun-
» tur scilicet eius cuius prius meminerant, et quem cogno-
» scebant, priusquam obliviscerentur, eum iubent valere et
» amandant. Erat[6] ergo obscura Dei cognitio etiam apud
» gentes ». Et iterum eodem n. VIII: « Iam vero[7] si iuxta communem sermonem (καθολικῷ λόγῳ) quaecumque sunt vitae necessaria et utilia divinitus ad nos venire dicamus, minime errabimus; vel potius si dicamus, ipsam quoque philo-

1 Οὐ χρόνῳ τοίνυν τὸ ἀπροσωπόληπτον τοῦ θεοῦ, ἀλλ᾽ ἐξ᾽ αἰῶνος· οὐδὲ μὴν ἤρξατο ποτὲ ἡ εὐεργεσία αὐτοῦ, ἀλλ᾽ οὐδὲ περιορίζεται τόποις ἢ ανθρώποις τισίν· οὐδὲ γὰρ μερικὴ ἡ εὐποιία αὐτοῦ· κ. τ. λ.

2 Ps. CXVIII, 19.

3 Κύριος ἐπὶ ὑδάτων πολλῶν· οὐ τῶν διαθηκῶν τῶν διαφόρων μόνων, ἀλλὰ καὶ τῶν τῆς διδασκαλίας τρόπων, τῶν τε ἐν Ἕλλησιν εἰς δικαιοσύνην ἀγόντων, τῶν τε ἐν Βαρβάροις.

4 Ps. XXIX, 3.

5 Ps. IX, 17.

6 Ἦν ἄρα εἴδησίς τις ἀμαυρὰ τοῦ θεοῦ καὶ παρὰ τοῖς ἔθνεσι.

7 Ἤδη δὲ καὶ καθολικῷ λόγῳ πάντα ἀναγκαῖα καὶ λυσιτελῆ τῷ βίῳ θεόθεν ἥκειν εἰς ἡμᾶς λέγοντες, οὐκ ἂν ἁμάρτοιμεν· τὴν δε φιλοσοφίαν, καὶ μᾶλλον Ἕλλησιν οἷον διαθήκην οἰκείαν αὐτοῖς δεδόσθαι, ὑποβάθραν οὖσαν τῆς κατὰ Χριστὸν φιλοσοφίας, κ. τ. λ.

sophiam Graecis veluti proprium datum esse testamentum, ut quae sit scala[1] christianae philosophiae; etiamsi, qui ex Graecis philosophantur, ad veritatem sua sponte obsurdescant, barbarorum contemnentes vocem... Quomodo autem in barbara philosophia, ita etiam in graeca *seminata sunt zizania*[2] a solito agricola zizaniorum; unde, et etiam quae sunt apud nos, exortae sunt haereses cum bono tritico et genuino: et qui Epicuri impietatem et voluptatem... tradunt..., divinitus datae Graecis agriculturae sunt fructus adulterini. Hanc dicit Apostolus *sapientiam huius saeculi*[3] etc.». Vides quomodo scriptor Alexandrinus errores gentiles haeresibus, quae a veritate catholica deflectunt, comparat.

Quae omnia Clementis abunde sufficiunt.

S. Ioannes Chrysostomus.

56. Iam nunc Chrysostomum audiamus, qui, reiecta primum opinione eorum qui dicebant Christum praedicasse Evangelium apud inferos iis gentilibus qui ante eius adventum excessissent, ut credere possent ad salutem, sic obiectionem sibi proponit, et sic resolvit in homil. xxxvi (*alias* xxxvii) in Matth., n. 3 et 4.

« Quid ergo[4], inquiunt, iniuste ne agitur cum iis qui ante adventum eius vixerunt? Nequaquam. Poterant enim nec Christum confessi (intellige cognitione et confessione explicita) salutem consequi. Non enim hoc ab illis exigebatur, sed ne idola colerent, et ut verum Deum nossent... Ideoque Maccabaei admirationi fuerunt, quia pro legis obser-

1 Ὑποβάθραν, idest *scalam*, seu *gradum* quo ad superiorem philosophiam ascenditur; nam male Hervetus *fundamentum* vertit.

2 Matth., xiii, 25.

3 I. Cor. ii, 6.

4 Τί οὖν, φησίν, ἠδικήθησαν οἱ πρὸ τῆς παρουσίας αὐτοῦ; οὐδαμῶς· ἐνῆν γὰρ καὶ μὴ ὁμολογήσαντας τὸν Χριστὸν τότε σωθῆναι. οὐ γὰρ τοῦτο ἀπῃτεῖτο παρ' αὐτῶν, ἀλλὰ τὸ μὴ εἰδωλολατρεῖν, καὶ τὸ τὸν ἀληθινὸν Θεὸν εἰδέναι...

vatione passi sunt, ac tres pueri, multique alii apud Iudaeos, qui vitam optime gesserunt, et huius cognitionis modum servarunt, nihil aliud observare debuerunt. Tunc enim[1] ad salutem sufficiebat, ut dixi, Deum tantum cognoscere. Nunc vero id satis non est, sed Christum nosse oportet. Idcirco dicebat: *Si non venissem, et locutus non fuissem eis, peccatum non haberent,* etc.[2]... Audi enim[3] quid de his dicat Paulus: *Quicumque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt*[4], loquens de iis qui ante legem erant: *et quicumque in lege peccaverunt, per legem iudicabuntur*, de iis omnibus loquens qui post Moysem fuerunt: et: *Quoniam revelatur ira Dei de caelo in omnem impietatem et iniustitiam hominum*[5]: et: *Furor, ira, tribulatio, angustia in omnem animam operantis malum, Iudaei primum et Graeci*[6]. Et certe mala innumera passi sunt gentiles, quod et exterorum historiae significant, nec non Scripturae nostrae... Quod autem ii[7] qui Christum non noverunt ante carnalem adventum, et qui ab idololatria resilientes Deum unum adorarunt, et probam duxere vitam, omnia bona consecuturi sint, audi quomodo dicat: *Gloria autem, honor et pax omni operanti bonum. Iudaeo primum et Graeco*[8]. Viden' bonorum praemia multa illis esse, et contra facientibus supplicia et poenas? ».

56. Hucusque Chrysostomus. Super haec porro verba vide

1 Τότε μὲν γὰρ εἰς σωτηρίαν ἤρκει, καθάπερ ἔφθην εἰπὼν, τὸ τὸν Θεὸν εἰδέναι μόνον· νυνὶ δὲ οὐκέτι, ἀλλὰ δεῖ καὶ τῆς τοῦ Χριστοῦ γνώσεως· κ. τ. λ.

2 IOANN., XV, 22.

3 Ἄκουσον γοῦν τὶ περὶ τούτων ὁ Παυλός φησιν· Ὅσοι κ. τ. λ.

4 *Rom.*, II, 12.

5 Ibid., I, 18.

6 Ibid., II, 9.

7 Ὅτι δὲ καὶ οἱ τὸν Χριστὸν οὐκ ἐγνωκότες πρὸ τῆς ἐνσάρκου παρουσίας, εἰδωλολατρείας δὲ ἀποστάντες καὶ τὸν Θεὸν προσκυνήσαντες μόνον, καὶ πολιτείαν ἐπιδειξάμενοι ἀρίστην, ἁπάντων ἀπολαύσονται τῶν ἀγαθῶν, ἄκουσον τί φησιν· Δόξα κ. τ. λ.

8 *Rom.*, II, 10.

quae annotat Fassonius in libro *De piorum in sinu Abraham beatitudine ante Christi mortem*, pag. 309. Doctus auctor timuit ne quis illis abuteretur ad necessitatem fidei minuendam, et sane fateor Sanctum Doctorem non satis explicate de hac locutum fuisse; at fidei explicitae tantummodo ipsum negasse necessitatem iam diximus.

S. Augustinus.

57. Primum, quid de salute haereticorum bonae fidei senserit Augustinus, et maxime eorum qui in haeresi nati sunt et educati, arguitur statim ab epist. XLIII (al. 142) quae sic incipit: « Dixit apostolus Paulus: *Haereticum hominem post unam correptionem devita, sciens quia subversus est eiusmodi, et peccat, et est a semetipso damnatus*[1]. Sed qui sententiam suam, quamvis falsam atque perversam, nulla pertinaci animositate defendunt, praesertim quam non audacia praesumptionis suae pepererunt, sed a seductis atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quaerunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati cum invenerint, nequaquam sunt inter haereticos deputandi ». Quot autem eiusmodi sint praesertim in magno schismate Graecorum et Rutenorum degentes vix dici potest. Cum igitur idem Augustinus in epist. CXLI (al. 152), n. V, decernit: « Quisquis ab hac catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere, quod a Christi unitate disiunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum », manifestum est sanctum doctorem loqui de haeretico vel de schismatico culpabiliter in haeresi vel schismate degente, ut patet ex contextu, iuxta quod ipsi docuimus supra, n. 5 et seq.

58. Sed potissimum attendenda est doctrina sancti Augustini quoad salutem eorum qui in infidelitate negativa et inculpa-

1 Tit., III, 10.

bili versantur, quaestionem hanc eximie prorsus et profunde tractantis in epist. CII (al. 49) de sex quaestionibus contra paganos expositis, quaest. II, num. VIII, XV, ubi Iustini sublimitatem cum Chrysostomi facilitate coniunxit, et theologicas Clementis improprietates simul devitavit.

59. Obiectionem primo e Porphyrio decerptam, quam continuo recantant rationalistae, sic proponit: « Si Christus se, inquiunt, salutis viam dicit, gratiam et veritatem, in seque solo ponit animis sibi credentibus reditum; quid egerunt tot seculorum homines ante Christum?... Quid actum de tam innumeris animis qui omnino in culpa nulla sunt, siquidem is, cui credi posset, nondum adventum suum hominibus commodarat?... Quare Salvator qui dictus fuit se se tot seculis subduxit? Sed ne dicant, inquit, lege iudaica vetere hominum curatum genus, longo post tempore lex Iudaeorum apparuit, ac viguit angusta Syriae regione... Quid igitur actum de Romanis animabus vel Latinis quae gratia nondum advenientis Christi viduatae sunt usque in Caesarum tempus? ».

60. Huic porro obiectioni (postquam respondit Augustinus eam posse contra auctores ipsius retorqueri, et generatim contra omnes qui aliquod bonum admittant in genere humano aliquando ortum habuisse, quo certe caruerunt omnes qui ante illud bonum natum vixerunt, quapropter, *desinant*, inquit, *obiicere nobis quod omni sectae et omni nomini religionis obiici potest* (n. XIII); quod si respondeant diversis temporibus et locis diversa congruere instituta et sacramenta, idem et nos posse in defensionem nostrae religionis proferre; ideoque, *cur hanc quaestionem*, concludit (n. X), *christianae religioni ingerunt, in qua nobis ipsi pro diis suis aut respondere non possunt, aut si possunt, in eo ipso sibi etiam pro nostra religione respondeant?*) demum sanctus doctor reponit aperte asserens Deum reapse nunquam saluti omnium hominum defuisse: « *Quae* (Dei voluntas) *omnino nunquam defuit ad*

salutem iustitiae pietatique mortalium, et si qua in aliis atque aliis populis una eademque religione sociatis varie celebrantur, quatenus fiat plurimum refert, quo et humana exhortetur vel toleretur infirmitas, et divina non oppugnetur auctoritas ». Ac deinde huius de universali humanae salutis procuratione propositionis demonstrationem Augustinus, aeque ac Iustinus et Clemens, desumit ex universalitate Verbi, quod lux est illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, omneque genus humanum diversis temporibus diversimode pro sua sapientia vivificat et regit, quodque ipse Christus est, per quem salus habetur. Sed ipsius verba plane divina audiamus.

« Quamobrem, inquit ib. num. XI, cum Christum dicamus Verbum Dei, per quod facta sunt omnia, et ideo Filium quia Verbum, nec verbum dictum atque transactum, sed apud incommutabilem Patrem incommutabile ipsum, atque incommutabiliter manens (sub cuius regimine universa creatura spiritalis et corporalis, pro congruentia temporum, locorumque administratur, cui moderandae et gubernandae, quid, quando, et ubi circa eam fieri oporteat, sapientia et scientia penes ipsum est), profecto et antequam propagaret Hebraeorum gentem, per quam sui adventus manifestationem congruis sacramentis praefiguraret, et ipsis temporibus Israelitici regni, et deinde cum se in carne de Virgine accepta mortalibus mortaliter demonstravit, et deinceps usque nunc, cum implet omnia quae per prophetas ante praedixit, et ab hinc usque ad finem seculi, quo sanctos ab impiis dirempturus est, et sua cuique retributurus, idem ipse est Filius Dei, Patri coaeternus, et incommutabilis Sapientia, per quam creata est universa natura, et cuius partecipatione omnis rationalis anima fit beata. Itaque (n. XII) **ab exordio generis humani quicumque in eum crediderunt, eumque utcumque intellexerunt, et secundum eius praecepta pie et iuxte vixerunt, per eum procul dubio salvi facti sunt.** Sicut enim nos in eum

credimus et apud Patrem manentem et qui in carne iam venerit; sic credebant in eum antiqui et apud Patrem manentem, et in carne venturum [1]. Nec, quia pro temporum varietate nunc factum annuntiatur, ideo fides ipsa variata vel salus ipsa diversa est. Nec, quia una eademque res aliis atque aliis sacris et sacramentis vel praedicatur aut prophetatur, ideo alias atque alias res vel alias atque alias salutes intelligi oportet. Quid autem quando fiat, quod ad unam eamdemque fidelium et piorum liberationem pertineat, consilium Deo tribuamus, nobis obedientiam teneamus. Proinde aliis tunc nominibus et signis, aliis autem nunc, et prius occultius, postea manifestius, et prius a paucioribus postea a pluribus, una tamen eademque religio vera significatur et observatur... Cum enim (n. XIII) non fortuito labi, sed divina providentia tempora ordinari fateantur (adversarii), quid cuique tempori aptum et opportunum sit, humanum consilium praetergreditur, et illinc dispertitur, unde ipsa providentia rebus consulit ».

61. Ut probabilem aliquam rationem proferat Augustinus de dilato Christi adventu in carne, hypothesin hîc ponit, quam saltem adversarii refutare non possent [2], nempe non antea Christum venisse, quia praescierat tunc homines non fuisse credituros: « Quid, inquit, respondebunt, si (excepta illa altitudine sapientiae et scientiae Dei, ubi fortassis aliud consilium longe secretius latet, sine praeiudicio etiam aliarum forte causarum quae a prudentibus investigari queunt) hoc solum eis brevitatis gratia in huius quaestionis disputatione dicamus, tunc voluisse hominibus apparere Christum,

1 Scilicet in eum ipsum, qui aliquando venturus esset in carne, etiamsi non praecognoverint explicite ipsius adventum futurum.

2 Quam alibi Augustinus ex profundiori divinae praedestinationis mysterii perpensione retractavit (Vide etiam D. Th. in 3ª, q. I, art. 6, ad primum) quin tamen ullimode praesentis ratiocinationis valor inde minuatur.

et apud eos praedicari doctrinam suam, quando sciebat, et ubi sciebat esse qui in eum fuerant credituri? » (n. XIV).

62. Sed postea sic ad universalitatem christianae salutis redit dicens (n. XV):

« Et tamen ab initio generis humani, alias occultius, alias evidentius, sicut congruere temporibus divinitus visum est, nec prophetari destitit, nec qui in eum crederent defuerunt ab Adam usque ad Moysen, et *in ipso populo Israel*, quae speciali quodam mysterio gens prophetica fuit, *et in aliis gentibus* antequam venisset in carne. *Cum enim nonnulli commemorantur in sanctis hebraicis litteris iam ex tempore Abrahae, nec de stirpe carnis eius, nec ex populo Israel, nec ex adventitia societate in populo Israel, qui tamen huius sacramenti participes fuerunt, cur non credamus etiam in ceteris hac atque illac gentibus, alias alios fuisse, quamvis eos commemoratos in eisdem auctoritatibus non legamus?* **Ita salus religionis huius, per quam solam veram salus vera veraciterque promittitur, nulli unquam defuit qui dignus fuit, et cui defuit dignus non fuit. Et ab exordio propagationis humanae usque in finem, quibusdam ad praemium** (nempe fidelibus pie viventibus et in iustitia perseveraturis) quibusdam ad iudicium praedicatur (nempe infidelibus positivis) ».

Hucusque Augustinus, qui mirum est quantum cum iis quae in nostra thesi disputavimus plenissime concordet.

S. Leo Magnus.

63. Sed quam alte semper insederit Ecclesiae principali, ceterarum magistrae, ille divinae gratiae et christianae salutis largitatis sensus, ab omni illiberali erga eos qui, miseri potius quam rei, inculpabili ignorantia laborant intolerantia illorumque a regno Dei exclusione alienus, quem primitus ab immediata sanctorum apostolorum Petri et Pauli voce edocta

toto pectore hausit[1], et nunquam adversus immites haereses atque nimios utrinque doctrinarum excessus non custodivit, postremoque ex ore Summi Antistitis, iis maximae auctoritatis testimoniis, quae superioris dissertationis thema praestiterunt, veluti effudit, ex Leone Magno potissimum comprobatur. Sub quo titulo non solum ea scripta referimus quae omnium eruditorum iudicio tamquam genuini ipsius fetus habentur, sed etiam aureum illud opus de *Vocatione Gentium*, quod (sive a Leone ipso conscriptum, sive a Prospero Aquitano eiusdem Leonis notario compositum, sive ab alio quodam illius seculi auctore nobis incognito) certe a Gelasio Papa an. 496 tamquam *Ecclesiae magistri* opus laudatum fuit[2], et cum Leonis aetate, immo, quod praecipuum est, cum illius stylo et doctrina apprime concordat; unde et ipsi fratres Ballerinii, qui istud opus Leoni abiudicare student, fatentur tamen doctrinae similitudinem inter Leonem et libros de Vocatione, in hac praecipue materia divinae Gratiae quoad auxilia generalia quae omnibus ad salutem conferuntur, id unum evincere posse *eos libros non repugnare Leoni*; quapropter testimonia ex libris illis proferre ac ex Leone Magno rem probare perinde erit.

64. De generali gratia nulli aetati, nulli nationi, immo etiam nulli unquam homini denegata, haec habet S. Pontifex in serm. LXXXII (al. 80) de Ss. Apost. Petro et Paulo, cap. II: « Deus bonus et iustus et omnipotens *misericordiam suam*

1 Sanctus Petrus in ep. II cap. III, 9, ait : « *Patienter agit* (Dominus) » *propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam re-* » *verti* ». Eadem mente D. Paulus in I ad Timoth. II, 4: « *Deus vult* » *omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire*; et ite- « rum: *Qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium* (ibid. IV, » 10); et iterum : *Dives in omnes qui invocant illum* (Rom. X, 12), et » iterum : *Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit, be-* » *nefaciens de caelo, dans pluvias et tempora fructifera, implens* » *cibo et laetitia corda nostra* (*Act. Ap.*, XIV, 16) ».

2 Gelasius, *Tract. c. Pelagianos.*

» *humano generi nunquam negavit*, omnesque in commune » mortales *ad cognitionem sui abundantissimis semper bene-* » *ficiis erudivit* ». In serm. XXXV (al. 34) *De Epiphania* v: « Permanet, inquit, super omnes benignitas Dei, *et nulli* » *misericordiam suam denegat*, cum *indiscrete universis* bona » multa largiatur ». Item in serm. XXXVIII (al. 37) *De Epiphania* VIII, cap. III, proponit fidelibus retinendam sui Conditoris similitudinem: « qui, *omnes ad cognitionem sui gene-* » *ralibus incitans bonis*, pluit super iustos et iniustos, et » solem suum oriri facit super bonos et malos ». Nec aliter docet auctor de *Vocatione Gentium*, qui in libro I, cap. V ait: « Secundum scripturam credimus et piissime confi- » temur, quod nunquam universitati hominum divinae pro- » videntiae cura defuerit, *quae licet acceptum sibi populum* » *specialibus ad pietatem direxerit institutis*, **nulli tamen** » **nationi hominum bonitatis suae dona subtraxit** ». Et in eodem libro, cap. IX de ista generali Dei gratia loquens: « Quae, subdit, etsi parcior antea atque occultior fuit, nullis » tamen seculis se negavit, virtute una, quantitate diversa, » consilio incommutabili, opere multiformi ». Quibus consentiunt et ista ex lib. II, cap. XV: « Adhibita semper est » universis hominibus quaedam supernae mensura doctrinae, » quae, etsi parcioris occultiorisque gratiae fuit, suffecit ta- » men, sicut Dominus iudicavit, quibusdam ad remedium, » omnibus ad testimonium ». Atque de gentilibus expresse in lib. II, cap. XVII: « Quibus, inquit, illa mensura generalis » auxilii, quae desuper omnibus semper hominibus est prae- » bita, non negatur ». Quippe prosequitur ibid., cap. XXV: « Omnes homines salvos fieri Deum velle, *semperque voluisse*, » non aliunde monstratur, quam ex iis beneficiis, eaque pro- » videntia Dei quam universis generationibus *communiter* » *atque indifferenter* impendit... Quibus donis, auctorem » suum per omnia secula protestantibus, *specialis gratia* » *superfusa est* ». Et iam antea in eodem libro II, cap. IX,

dixerat: « Caelum et terra omnisque creatura... ad hanc » praecipue disposita est humani generis utilitatem, ut na» tura rationalis... *ad cultum et dilectionem sui imbueretur » auctoris.* Quoniam, etsi longe est a peccatoribus salus, » **praesentia tamen salutis ipsius ac virtute nihil vacuum est** (ubi vides posuisse homines veluti ipsa salute circumdatos si vellent eam amplecti). Igitur, sicut dicit propheta, *Mi» sericordia Domini plena est terra*, quae nullis unquam » seculis, nullis generationibus defuit ». Et in cap. x eiusdem lib. II: « Omnium seculorum experimenta docuerunt » iustam Dei misericordiam, misericordemque iustitiam, nec » alendis unquam corporibus hominum, *nec docendis iuvan» disque eorum mentibus defuisse* ».

65. Perperam porro Quesnellus, particularistica Iansenii theologia imbutus, contendit auctorem opusculi *De vocatione Gentium*, quod S. Leoni adiudicat, *in locis ubi gratiam Dei omnibus datam asserit, per eam intelligere exteriora et naturalia Dei dona quae omnibus promiscue exposita sunt*, iuxta saevum illud Iansenianae doctrinae principium non aliam dari ceteris omnibus praeter solos electos gratiam sufficientem quam quae sufficiat ad damnationem, non vere sufficiat ad salutem [1], ideoque aures tantummodo oculosque perstringat, non autem corda tangat interius, nam talium haereticorum effatum erat, *gratiae vere interiori nunquam resisti*. Perperam, inquam, adversus sanctum doctorem haereticus homo ista commentus est. Etenim sanctus doctor dicens ut supra: « *quibus donis auctorem suum per omnia secula protestan« tibus* **specialis gratia superfusa erat** » utique exterioribus et naturalibus Dei donis aliam gratiam superaddit quae nonnisi interior est. Praeterea dum in lib. II cap. XXIII ait: *circa*

1 Hac de causa supra, num. 42, respuimus editoris Maurini operum S. Iustini adnotationem, qua contendebat hoc unum voluisse Iustinum demonstrare ethnicos minime insontes fuisse, non autem eos potuisse assequi salutem, nam unum sine altero stare non potest.

maiores (idest adultos), *praeter illam* **generalem gratiam parcius atque occultius omnium hominum corda pulsantem**, *excellentiore opere, largiore munere, potentiore virtute vocatio specialis exeritur*, agnoscit certe, sicuti omnes theologi agnoscunt, dari aliquam gratiam uberiorem atque potentiorem, quam quae omnibus adhibetur; sed tamen hanc quoque generalem gratiam esse *corda pulsantem* expressis verbis profitetur. Et quando in lib. II cap. X ait *misericordiam Dei nec alendis unquam corporibus hominum*, **nec docendis iuvandisque eorum mentibus defuisse,** hisce postremis verbis interiorem gratiam ipsum innuere manifestum est. Quomodo autem, ibidem cap. XXV, istam *Dei providentiam quam universis generationibus communiter atque indifferenter impendit* adduxisset veluti argumentum irrefragabile voluntatis Dei salvandi omnes homines, si eam tantummodo intellexisset gratiam Iansenianam quae nonnisi ad damnandum valet? Denique in cap. XIII ait *occultiorem illam gratiam suffecisse quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium*: nempe, ut ipse explicat in cap. XXVI eiusdem libri, Dei opitulatio *per innumeros modos, sives occultos, sive manifestos, omnibus adhibetur; et quod a multis refutatur, ipsorum nequitiae est*, ideoque contra illos erit ad testimonium, *quod autem a multis suscipitur, et gratiae est divinae et voluntatis humanae*, ideoque illis erit ad remedium; et iterum eadem mente in cap. XXVIII subiungit: « *diversis atque innumeris modis omnes homines vult* » *salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire; sed qui ve-* » *niunt, Dei auxilio diriguntur* » nempe ii sunt quibus est ad remedium; « *qui non veniunt, sua pertinacia reluctantur* » et propterea istis erit ad testimonium, de quibus etiam Apostolus ait in cap. I ad Rom., quod *erunt inexcusabiles*, nam ipsis merito dicet Deus: *vocavi et renuistis, extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret*[1]. Iam vero si cum auxilio exteriori

1 *Prov.* I, 24.

non etiam interius coniunctum fuisset, quo potissimum indigebant, quomodo non esset excusationi locus? Illud enim possent obtendere: vox quidem naturae auribus nostris intonuit, sed interiori auxilio, quod omnino necessarium erat, fuimus destituti[1]. Talia quidem mentibus haereticis cohaerentia videbuntur, nostris autem nonnisi secum ipsis pugnantia sunt.

66. Indubium itaque est S. Leonem, sicuti et catholicum *Ecclesiae magistrum* de Vocatione Gentium scriptorem, tribuisse omnibus, etiam gentilibus qui forent alieni ab exteriori societate Israel, vel inculpabiliter extra corpus visibile Ecclesiae christianae positi, aliquam sufficientiam ad salutem, quod ad thesim nostram comprobandam satis est. Nec tamen eo usque progressus est ut negaret multo amplius esse fidelibus prae infidelibus, quod ad dissipandam incredulorum obiectionem necessarium non est, et prorsus foret erroneum. etenim firma semper manet Apostoli sententia in I Timoth. IV, **10**, quod Deus quidem *omnium hominum salvator est*, sed *maxime fidelium*. Quod idem auctor in cap. XXXI lib. II luculentissime profitetur. « Elaboratum est, inquit, quantum » Dominus adiuvit, ut non solum in novissimis diebus, *sed » etiam in cunctis retro seculis* probaretur *gratiam Dei om- » nibus adfuisse, providentia quidem pari et bonitate gene- » rali*, sed multimodo opere, diversaque mensura. Quoniam, » sive occulte, sive manifeste, ipse est, ut Apostolus ait, » *Salvator omnium hominum, maxime fidelium*. Quae sen- » tentia subtilissimae brevitatis et validissimi roboris si tran- » quillo consideretur intuitu totam hanc, de qua agimus, » controversiam dirimit. Dicendo enim, **qui est Salvator » omnium hominum** confirmavit *bonitatem Dei super uni- » versos homines esse generalem*. Adiiciendo autem **maxime » fidelium** ostendit esse partem generis humani, quae me- » rito fidei divinitus inspirata ad summam atque aeternam

1 LIEBERMANN, *Tractat. de Gratia*, part. IV, cap. II, prop. II, obiect. II.

» salutem specialibus beneficiis provehatur. Quod utique » nulla iniquitate agitur iustissimi et misericordissimi Dei; » cuius iudicium in his dispensationibus non cum arrogantia » discutiendum sed cum tremore laudandum est ».

67. Quod autem de generali voluntate Dei salvandi omnes homines, illisque perhibendi media sufficientia ad salutem, statuit hucusque sanctus Leo, id quoque de morte et oratione Christi pro omnibus diserte affirmat, dicens de Christo in Serm. I *De Nativitate* ipsius, cap. II: « Sicut nullum a reatu li- » berum reperit, *ita liberandis omnibus venit* ». Et in Serm. V *De Epiphania*, cap. XI: « Respice tandem, Iudaee, respice, et » ad Redemptorem *etiam tuum* deposita infidelitate conver- » tere. Noli sceleris tui immanitate terreri; non iustos Chri- » stus, sed peccatores vocat; nec impietatem tuam repellit, » qui per te, cum crucifixus esset, oravit ». Similiter in Serm. XIX *De Passione Domini*: « Dominus noster ita humano » generi sua morte consuluit, ut sacramentum salutis etiam » ipsis persecutoribus non negaret. Qui enim venerat uni- » versis credentibus omnia peccata dimittere, a generali in- » dulgentia nec iudaicum voluit crimen excludere ». Quin et ipse traditor Iudas, ideo « ad hanc indulgentiam perve- » nire non potuit, quoniam..... prius in desperationem tran- » siit, quam *sacramentum generalis redemptionis Christus* » *impleret*. Nam mortuo pro impiis omnibus Domino po- » tuisset forte etiam hic consequi remedium, si non festi- » nasset ad laqueum ». Atque hisce concinit omnino auctor *De Vocatione Gentium*, qui in lib. II, cap. XIII, ita tradit pro omnibus etiam impiis et peccatoribus Christum esse mortuum, ut nullus omnino ab hac generalitate excipiatur: « a » quorum numero, inquit, *si aliquis liber inventus est*, non » est pro omnibus mortuus Christus ».

Quod si Quesnellus contendit ad particularisticam suam Iansenistarum theologiam ista pertrahere, nil aliud quam se haeretico spiritu abreptum esse confecit. Quem merito per-

stringunt fratres Ballerinii in suis ad h. l. observationibus, § 3. Etenim quamvis exploratum ubique sit quod Tridentina Synodus docuit in sess. VI, cap. III: « *Etsi ille* (Christus) *pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis eius beneficium recipiunt, sed ii dumtaxat quibus meritum passionis eius communicatur* »; firmum tamen manet ipsum pro omnibus vere mortuum esse; et insuper quod non omnibus meritum passionis eius non communicetur, id generaliter ab ipsorum culpa esse repetendum, hucusque demonstravimus.

68. Quin et illam ipsam difficultatem quam superius postremo loco tractavimus de parvulis qui baptismo praemoriuntur adoritur praeclarissimus Leonini illius *De Vocatione Gentium* operis scriptor, cuius in hac quoque parte responsionem praeterire nefas est, quae, si quid video, omnino cum nostra concordat.

« Non parum, inquit ille, lib. II, cap. XX, difficultatis op- » ponit consideratio parvulorum, qui nullo iudicio rationis » utuntur, quo auctoris sui beneficia sentientes ad agnitionem » valeant veritatis accedere..... Unde cum omnes homines velit » Deus salvos fieri, quid est quod alienatur a salute perpetua » tanta infantium multitudo? » Et primum quidem respondet illud idem quod nos super tetigimus num. 32; nempe: « De hac » altitudine discretionis Dei non conturbabitur cor nostrum » si firma et stabili fide omne iudicium Dei iustum esse cre- » damus, nec appetamus habere cognitum quod voluit esse » secretum; ut ubi investigari non potest, quare ita iudicet, » sufficiat scire quis iudicet »; deinde, quidquid parvulis illis mali sit, non Deo esse imputandum, quia illi ad summum relinquerentur in conditione sua: « nec de immaturitate mortis » esse rationem conquerendi, cum semel in naturam nostram » per peccatum ingressa mortalitas, obnoxium sibi omnem » vitae nostrae fecerit diem ». Sed demum, si quis adhuc velit illos infantes sub alis recipere generalis gratiae et providentiae divinae quae omnibus adhibetur, pius auctor minime

repugnat: « Non irreligiose, inquit, arbitror credi neque in- » convenienter intelligi quod isti paucorum dierum homines » *ad illam pertineant gratiae partem quae semper universis* » *est impensa nationibus* ». Etsi porro hanc gratiae partem, non ipsis parvulis immediate, sed illorum parentibus pro ipsis conferri coniectaverit cautus catusque scriptor subiungens: « qua (gratia) bene utique si eorum uterentur parentes etiam » ipsi (infantes) per eosdem iuvarentur »; attamen, si quis eos iuvari posse dixisset non ab ipsorum parentibus immediate, quorum fides incerta infirmaque est, sed ab Ecclesia universali, quae mater omnium viventium fuit divinitus constituta, non irreligiose id credi neque inconvenienter intelligi scriptor ille, ut puto, arbitratus fuisset.

Nec valet Quesnelli exceptio, nempe quod vetus ille scriptor « *timide ac dubitanter* explicationem illam protulerit in » medium, non ut scripturis traditionive sanctorum Patrum » innixam, sed *velut quae absque religionis offensa teneri* » *queat* », Nae, quis posset veluti certum tradere quod non positive docet Ecclesia? Sed *timida ac dubitans* coniectura, et negativa positio quod ea *absque religionis offensa teneri queat*, est illud summum quod in re tam obscura dici possit, et ad difficultatem solvendam sufficit.

S. Bernardus.

69. Huic Ss. Patrum seriei finem ponet Bernardus, qui ratione temporis postremus est, non autem ratione scientiae et pietatis. Ipse quoque quaestionem ex professo pervolvit in *Tractatu de baptismo* (al. epistola 77) ad Hugonem de S. Victore, cuius brevem analysim in hoc loco describere opportunum est, quia alia Augustini et alia quoque aliorum sanctorum Patrum testimonia, quae in praemissis non retulimus, nobis exhibebit.

Disserit sanctus Pater contra quemdam, cuius nomen tacetur,

qui, nimis exaggerans necessitatem baptismi visibilis et exterioris, asserebat: « ex quo primum dictum a Domino legitur, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto*, etc.[1], neminem absque eodem percepto actualiter visibili sacramento, vel eius vice martyrio, ullatenus potuisse salvari: quin, etsi forte illud quispiam cum vera fide et contritione cordis expeteret, sed praeventus mortis articulo assequi quod cuperet non valeret, tamen omnino damnari ». Porro sanctus Pater adversus intolerabilem hanc necessitatis baptismi visibilis exaggerationem se erigens, et sufficientiam baptismi mere interioris desiderii, quod in cordis dispositione completur, propugnans, plura dicit quae pro infidelium negativorum tam infantium quam adultorum non tantum excusatione, sed etiam salute facere videntur, quae iuxta ordinem ipsum, quo a sancto Doctore scripta sunt, proferemus.

70. Et I, cum anonymus ille tantam baptismi necessitatem ex ipso temporis puncto, quo Christus secretum illud habuit cum Nicodemo colloquium, repetebat: « iam de temporis prefixione, reponit Bernardus, durum nimis austerumque videtur, ut videlicet verbum adhuc absconditum, palam iam noceat, et ante iudex feriat quam minetur; quodque interim in tenebris loquitur et in aure Salvator, nondum quidem salvet quia nondum apparet, et iam mundum impleat condemnatis... Num gentem ignorantem et iustam, ut cum ethnico loquamur[2], debuit interficere Deus? Quis ita sapiat?... Quanti namque interim toto orbe non baptizati moriuntur, profecto ignorantes quid cum Nicodemo Iesus noctu secretoque confabuletur? Quid ergo? necdum lex promulgatur, et iam praevaricantes tenentur? *Et quomodo*, inquit, *credent in eum quem non audierunt? Quomodo vero audient sine praedicante*[3]? Necdum iniuncta, necdum vulgata, necdum audita praedicatio

1 IOANN. III, 5.
2 *Gen.* XX, 4.
3 *Rom.* X, 14.

est; et... tam durus est Dominus ut necdum sata iam metere velit, et non sparsa colligere? Absit... **Valde quippe iniuste exigitur obeditio ubi non praecessit auditio.** Neque enim tale est hoc (nempe praeceptum de baptismate aquae) quod, et absque promulgatione, naturalis lex ignorare non sineret, quale verbi gratia illud est: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*[1]. Factitium magis quodammodo est, et non naturale mandatum. Quaenam enim naturae seu ratio docet internam, aeternamque salutem neminem mortalium posse percipere, cuius corpus foris perfusum visibili non fuerit elemento?... Quod ergo omnino fieri (al. *sciri*) non poterat si non audiretur, quo pacto, quaeso, exigi debeat et antequam audiretur? Vide autem quomodo huc refugit Apostolus, et de solo auditu convincit incredulos. *Sed dico*, inquit, *numquid non audierunt?* Ac si dicat: excusari poterant si non audiissent: ubi enim non est lex, nec praevaricatio... Audi denique ipsum (Christum): *Si non venissem*, ait, *et locutus eis non fuissem, peccatum non haberent*[2]. Non dicit simpliciter *et locutus non fuissem*, sed interserens *eis*, et *locutus eis*, inquit, *non fuissem:* ostendens sine dubio non ante censeri inexcusabiles de contemptu, quam ad ipsorum usque notitiam iussio perveniret. Nam si locutus quidem fuisset, sed non eis, inobedientiae culpam ignorantia nihilominus excusaret. Nunc autem, inquit, quoniam locutus sum, et locutus sum eis, *excusationem non habent de peccato suo* ».

Ita Bernardus; quae quidem plurimum valent quoad ea confirmanda quae diximus in nostra thesi nn. 5–9 de necessitate praecepti pertinendi ad Ecclesiam Christi exteriorem, quo non perstringuntur ignorantes, sed tantum scientes.

71. « Sed forte aliquis dicat (prosequitur sanctus Doctor et hîc iam eam necessitatem attingit quae dicitur medii) eos quidem qui non audierunt, etsi non de contemptu iudicari, damnari

1 *Tob.* IV, 16

2 IOANN. XV, 22.

tamen propter originale peccatum, a quo utique nisi per lavacrum emundari minime potuerunt. At vero quis nesciat et alia praeter baptismum contra originale peccatum remedia antiquis nec defuisse temporibus? Abrahae quidem et semini eius circumcisionis sacramentum in hoc ipsum divinitus traditum est. **In nationibus vero, quotquot inventi sunt fideles, adultos quidem fide et sacrificiis credimus expiatos, parvulis autem solam profuisse immo et suffecisse parentum fidem ».** Iam vero haec omnia remedia defecisse ex quo primum dictum fuit in occulto *Nisi quis renatus fuerit,* absurdum esse demonstrat Bernardus: « Quanta enim putas obiisse interim (ut de gentibus taceam) millia circumcisorum, cum necdum in lucem prodierit quod de baptismo tunc in tenebris dicebatur? Quid ergo? damnatos illos omnes dicimus, quia baptizati non sunt? Fit ergo iniuria antiquo illi Dei aeque mandato, si novo adhuc furtive quodammodo superveniente, non tamen subveniente, illud ita subito evanuisse putetur, ut prodesse deinceps non valeret... O infelicissima illa tempora! quae sola a seculis omni penitus salutis remedio vacua transierunt... Forsan dormiebat eo tempore Deus, nec fuit interim qui redimeret, neque qui salvum faceret? ».

Quae sancti doctoris vere efficacia argumenta etiam de tempore post evangelii et baptismi promulgationem, pro iis qui nondum audierunt, ideoque ignorant inculpabiliter, valere utique reperientur. Sed iterum illum audiamus.

72. II. « Non igitur ex tempore illius secreti cum Nicodemo colloquii (prosequitur Bernardus ibid. cap. II), generaliter incipere potuit damnatio non baptizatorum, et evacuatio sacrificiorum quae forte contra originale peccatum ritus observabat antiquus; sed nec quando Apostolis palam iniunctum est: *Ite, docete .... baptizantes*, etc.: **sed ex eo tempore tantum cuique coepit antiqua observatio non valere, et non baptizatus quisque novi praecepti reus existere, ex**

quo praeceptum ipsum inexcusabiliter ad eius potuit pervenire notitiam ».

Igitur, iuxta S. Doctorem, *etiam nunc valet antiqua observatio iis omnibus ad quos nondum potuit baptismi et evangelii inexcusabiliter pervenire notitia;* ideoque qui eiusmodi sunt, tum adulti tum parvuli, in ea adhuc permanent conditione salutis, in qua erant veteres ante Christi adventum, et ante baptismum institutum.

73. Sed de parvulis quidem paulo post dicemus. Quod vero spectat adultos statim patet haec nostra propositio ex iis quae mox subiungit Bernardus de salute illius qui baptizari desiderat, sed morte praeventus non potuit obtinere: et quidem, quamvis antea culpabiliter renuerit baptizari quando poterat, « tamen, si ante exitum resipuerit, et voluerit et petierit baptizari..., dum non desit fides recta, spes pia, charitas sincera, propitius sit mihi Deus, **quia huic, ob solam aquam si defuerit, nequaquam omnino possum desperare salutem....** tantum si aquam non contemptus, sed sola (ut dixi) prohibeat impossibilitas ». Si igitur non *defectus* baptismi, sed *solus contemptus* ipsius damnare potest, utique propter solam baptismi exterioris vel cuiuscumque exterioris conditionis carentiam vel ignorantiam inculpabilem peribit nemo, dummodo interius ad Deum sit bene dispositus quantum potest iuxta eam qua pollet cognitionem. Et pro hac sua sententia profert tum auctoritatem S. Ambrosii *De obitu Valentiniani*, tum potissimum Augustini in lib. IV *De unitate baptismi* contra Donatistas: « Qui auctoritatem quoque B. Cypriani in medium adducens concludit: *Quod etiam atque etiam considerans, invenio,* inquit, *non tantum passionem pro nomine Christi id quod ex baptismate deerat posse supplere; sed etiam fidem conversionemque cordis si forte ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest...* **Sed tunc,** inquit, **impletur invisibiliter, cum mysterium baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis**

excludit.... Item et in alio loco Augustinus (prosequitur Bernardus, allegans ipsius verba ex 50 quaestionibus in *Levit.*, cap. LXXXIV), cum aliquos praemisisset quos scriptura commemorat *invisibiliter* quidem, non tamen etiam *visibiliter* sanctificatos, tandem infert: **Ex his colligitur,** ait, **invisibilem sanctificationem quibusdam affuisse et profuisse sine visibilibus sacramentis, quae pro temporum diversitate mutata sunt, ut alia tunc fuerint, et alia modo sint**[1]. Et paulo post: *Nec tamen*, inquit, *visibilem sacramentum omnino contemnendum; nam contemptor eius invisibiliter sanctificari non potest.* **Ubi satis evidenter ostendit,** subdit Bernardus, **fidelem et conversum ad Dominum, non si nequiverit, sed si contempserit baptizari, fructu privari baptismatis.** Ab his ergo duabus columnis, concludit S. Abbas, Augustinum loquor et Ambrosium, crede mihi, difficile avellor. Cum his, inquam, me aut errare aut sapere fateor; **credens et ipse sola fide hominem posse salvari cum desiderio percipiendi sacramentum, si tamen pio adimplendi desiderio mors anticipans, seu alia quaecumque vis invincibilis obviarit** ».

Ex quibus omnibus Ss. PP. documentis id luce clarius consequi mihi videtur, posse salvari hominem, qui non ex contemptu sed impeditus vi invincibilis ignorantiae non recipit baptismum aquae, neque illum explicite desiderat, quem ignorat, dummodo interius sit bene dispositus ad Deum, et eam habeat fidem implicitam, itemque desiderium implicitum perficiendi divina mandata, quod ante baptismum institutum sufficiebat: quamvis enim non baptizetur aqua exterius, baptizari tamen potest interius gratia Dei et Spiritu Sancto.

1 Adverte quomodo in hoc loco AUGUSTINUS distinguat invisibilem regenerationem, quae utique est et semper fuit absolute necessaria nenessitate medii ad salutem, a forma visibili ipsius, quae non tantum diversis temporibus variari potuit, sed etiam aliquando totaliter deesse, quia nec una tantum essentialiter est, nec absolute necessaria, iuxta ea quae superius diximus num. 35.

74. Quod iterum Bernardus confirmat ex verbis Christi in MARC. XVI, 16: « Vide etiam, inquit, ne forte ob hoc Salvator cum diceret: *Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit,* caute et vigilanter non repetierit, *Qui vero baptizatus non fuerit*, sed tantum: *Qui vero non crediderit, condemnabitur;* **nimirum innuens solam interdum fidem sufficere ad salutem, et sine ipsa sufficere nihil** ». Et hoc prosequitur ostendendo, quod ipsum martyrium non per se valet, sed ex fide; et pariter ex fide valet ipsum baptisma non tantum adultorum, sed et infantium. Et praeterea sicut voluntas pro facto reputatur in malo, quando factum excludit necessitas, « sic, inquit, sola fides et mentis ad Deum conversio, sine effusione sanguinis et sine perfusione aquae, salutem sine dubio operatur volenti sed non valenti, prohibente mortis articulo, baptizari ». Quod valere pariter, si impediat vis insuperabilis ignorantiae invincibilis, nemo non videt. Et haec de adultis.

75. III. Quid autem de parvulis qui ante baptisma susceptum moriuntur? Numquid illis saltem nocet inevitabili damno institutio baptismi, et in peiori conditione nunc versantur quam antea fuerint, quando sola ipsis prodesse poterat parentum fides, ut superius n. 71 dixit Bernardus? Audiamus quid S. Doctor ipse definiat:

« Sane parvulis, inquit, ibid. cap. II, n. 6, et necdum ratione utentibus, quia sola nocere creditur peccati contagio, non etiam mandati praevaricatio, **tamdiu credendum est antiqua valuisse sacramenta, quamdiu palam interdicta non fuisse constiterit** ». Igitur ius antiquum adhuc valere sicut pro adultis ita etiam pro parvulis, in iis saltem regionibus in quibus Evangelium et baptisma necdum promulgata fuere, videtur esse apud S. Doctorem res prorsus explorata: « **An vero ultra,** inquit, **penes Deum est, non meum definire** ». Atqui ex hoc ipso quod non audet definire sanctus Pater, iam definit quod nostrum est, nempe non esse rem definitam

in dogmatica christiana quod huiusmodi infantes adhuc salvari et sanctificari non possint, vel antiquis ritibus, vel fide parentum, vel potius fide magnae matris Ecclesiae, quae vere constituta fuit *mater omnium viventium*[1], et immensa charitate omnes ubique locorum morientes infantes in suos adoptat et regenerat.

76. Quinimmo rem non esse improbabilem, quod ita per fidem Ecclesiae ii parvuli salventur, vel saltem in limbo quodam exspectationis salutis constituantur, quam ipsis adducere possit in suo secundo adventu Salvator, videtur argui posse ex iis quae S. Doctor scribit in fine eiusdem cap. II, repetens ex fide Ecclesiae, vel parentum, eam ipsam sanctificationem, quam parvuli recipiunt in baptismo, quae non aliter quam per fidem percipi potest, aut propriam, si de adultis agitur, aut saltem alienam, si de infantibus sermo sit. « Sane infantes, inquit, quia hanc, prohibente aetate, non possunt habere fidem, hoc est cordis ad Deum conversionem, consequenter nec salutem (intellige per se ipsos), si absque baptismi perceptione moriuntur. **Non quod** *vel ipsi, quando baptizantur, fide omnino careant, sine qua impossibile est vel ipsos placere Deo, sed salvantur et ipsi per fidem* (perpende haec verba et sequentia, quae sane notabilia sunt), *non tamen suam, sed alienam.* **Nec enim Omnipotentis iustitia propriam putat ab his exigendam fidem, quos novit propriam nullam habere culpam. Porro aliena opus est fide, cum sine sorde non nascantur aliena; quatenus non a parvulis alienum sit quod de omnibus generaliter dicitur:** *Fide mundans corda eorum*[2]. **Nec dubium quod macula contracta ab aliis, aliorum quoqua fide valeat vel debeat emundari**[3] ».

77. Vel nihil video, vel haec probant etiam sine baptismo

1 *Gen.*, III, 20.

2 Act., XV, 9.

3 Idem etiam docet in serm. 66 in Cantica, cuius verba mox referemus.

posse infantibus prodesse in articulo necessitatis fidem Ecclesiae. Haec enim dicit Bernardus ad demonstrandam suam propositionem superius positam: *Solam interdum sufficere fidem ad salutem, et sine ipsa sufficere nihil.* Et de adultis quidem dicit quod ordinarie salvantur per baptismum, vel per martyrium vice baptismi, non tamen absque fide, *sine qua nihil sufficit ad salutem*, sed extraordinarie per solam fidem, *quae interdum sola sufficit* in articulo necessitatis. Pariter ergo, dum de parvulis demonstrat, quod ordinarie quidem salvantur per baptisma cum fide Ecclesiae, videtur subintelligendum esse, quod extraordinarie salvari possint per solam fidem, *quae interdum sola sufficit ad salutem,* nempe in articulo necessitatis impedientis baptisma, fidem, inquam, non propriam, cuius capaces non sunt, sed alienam, idest Ecclesiae: ut sic possit etiam pro ipsis valere, quod superius pluribus demonstravit S. Doctor, defectum baptismi iis solis nocere qui illum ex contemptu negligunt. Et revera cur fides Ecclesiae valet ad iustificandum infantem cum baptismo, et sine baptismo non valebit? Vel cur sola fides salvat adultum, et infantem non salvabit? Perpende rationes quas in contrarium Horstius affert in adnot. 270 super hunc locum, nempe vel quia infans non baptizatus adhuc a Deo est totus aversus, vel quia Ecclesia non intendit fidem suam infantibus accomodare extra baptismum, et videbis quam infirmae et emendicatae sint, et illud ipsum praesupponunt quod in questione est.

78. Sed optime idem Horstius distinguit in adnotat. 268 quando ait: « **quamvis renasci ex Spiritu Sancto semper et omnino fuerit necessarium ad salutem,** modus tamen renascendi qui est per aquam **non semper fuit necessarius** »; et in adnot. 267 plures profert SS. PP. auctoritates ad demonstrandum, non uno modo olim infantibus provisum fuisse, ut a peccato mundarentur. Gregorius Magnus in lib. IV *Mor.*, cap. III, ait « Quod apud nos valet aqua bap-

tismatis, hoc egit apud veteres, *vel pro parvulis sola fides*, vel pro maioribus virtus sacrificii (hucusque de *ethnicis* locutus est Gregorius), vel pro his qui ex stirpe Abrahae prodierant, mysterium circumcisionis ». Augustinus, lib. v contra Iulianum cap. II, scribit : « Nec ideo credendum est et ante datam circumcisionem, famulos Dei, quandoquidem eis inerat Mediatoris fides in carne venturi, nullo sacramento eius opitulatos fuisse parvulis suis : quamvis quid illud esset, aliqua necessaria causa, scriptura latere voluerit ». Auctor *Sermonis de ratione circumcisionis* ait : « Sane originale peccatum, quod a primis parentibus in totam generis humani successionem defluxit, omni tempore aliquibus remediis oportuit expiari ». Tandem D. Thomas in 3ª, q. LXX, a. 4. ad 2dum, docet probabile esse quod parentes fideles pro parvulis natis, et maxime in periculo existentibus, aliquas preces Deo funderent, vel aliquam benedictionem adhiberent. Igitur, facta hac distinctione, necessarium est quidem nunc, et semper fuit, quod infantes regenerentur et mundentur a peccato, ut in salutem recipiantur, et hoc est dogma definitum adversus Pelagianos; sed quod talis forma exterior regenerationis sit unica et absolute necessaria, adeo ut per aliam suppleri non possit divinitus, vel etiam quod sine ulla forma visibili regeneratio invisibilis non possit adimpleri, hoc nequaquam est definitum, et quoad veteres saltem est historiae contrarium. Ceterum omnino erroneum est invisibilem regenerationem cum forma visibili ipsius confundere, et absolutam necessitatem, quae de priore tantum valet, transferre in secundam. Hanc ipsam distinctionem statuit Augustinus, ut supra diximus n. 73, pag. 83, in nota, et super hac ipsa adstruitur tota S. Bernardi doctrina quam exposuimus.

79. Porro, per fidem Ecclesiae iustificari infantes qui baptismum recipiunt, iterum docet Bernardus, Serm. LXVI in Cant., disserens adversus haereticum quemdam qui baptismum parvulorum tamquam inanem reiiciebat, eo quod infantes fi-

dem propriam habere non possunt, quo in loco plura iterum profert, quae pro nostro instituto facere videntur: « **Nemo mihi dicat**, reponit S. Doctor, **quia non habet fidem** (infans) **cui mater Ecclesia impertit suam...** Numquid et breve pallium est, ut non possit ambos cooperire. **Magna est Ecclesiae fides.** Qui haec credit, huic persuadebitur merito Ecclesiam praesumere non solum parvulis baptizatis in sua fide salutem, sed etiam interfectis pro Christo infantibus (vide quomodo iam extra baptismum excurrat S. Doctor) coronam martyrii ». Quae ex Augustino desumpta sunt, qui in lib. IV contra Donatistas, cap. XXIII, sic loquitur: « Sicut in adultis fidelibus, quibus per aliquam necessitatem corporaliter baptismus deest, **perfecta salus est, quia per pietatem spiritualiter adest**; sic, cum ipse baptismus praesto est, si per necessitatem desit fides, perficitur salus. Quod traditum tenet universitas Ecclesiae cum parvuli infantes baptizantur, qui certe nondum possunt corde credere ad iustitiam, etc. ». Et cap. XXIV: « **Sicut in adultis, quod in sacramento deest, complet Omnipotentis benignitas, quia non superbia vel contemptu, sed necessitate deest** (en prima pars nostrae doctrinae); **sic in infantibus baptizatis eadem gratia Omnipotentis implere credenda est quod non ex impia voluntate sed ex aetatis indigentia nec credere possunt**, etc. ». Et rursus in epist. XXIII ad Bonifacium: « **Offeruntur**, inquit, **parvuli ad percipiendam spiritalem gratiam, non tam ab eis quorum gestantur manibus..... quam ab universa societate Sanctorum atque fidelium. Ab omnibus namque offerri recte intelliguntur, quibus placet quod offeruntur, et quorum sancta et individua charitate ad communicationem Sancti Spiritus adiuvantur. Tota hoc ergo mater Ecclesia, quae in Sanctis est, facit, quia tota omnes, tota singulos parit** ». Quod si in adultis fides supplet defectum aquae, in parvulis vero, qui baptizantur, aqua supplet defectum fidei propriae ipsorum, fortasse non aequum aliquis iudicabit non posse Ecclesiae fidem defectum aquae

supplere in iis parvulis qui baptismo praemoriuntur. Sed iam de his satis.

80. IV. Tandem disserit S. Bernardus adversus eumdem anonymum qui iustis antiquis, quotquot videlicet Christi adventum praecesserunt, tantam omnino tribuebat praescientiam futurorum (ut ipsis tueretur eam fidem explicitam Redemris quam putabat esse necessariam ad salutem) quantam nos habemus scientiam praeteritorum; Deum faciens vel nimis prodigum perfectae cognitionis hominibus, vel nimis parcum salutis: etenim (inquit ib. in cap. III) « numerum electorum illius temporis sub paucitate redigit (anonymus ille) rarissimorum spiritualium, quos prae suae sanctitatis speciali excellentia insignes illustresque illis temporibus extitisse, ac singulari munere Spiritus singula, uti ventura erant, praevidere potuisse Scriptura commemorat, et sic nimis abbreviat manum Dei, dum praeter paucos illos perfectissimos neminem eo tempore putat potuisse salvari ». Hanc autem opinionem refellens S. Doctor talem definit tunc suffecisse fidem implicitam ad salutem, quae etiam in bonis gentilibus reperiri potest: « Si ergo, inquit, ut ait etiam S. Papa Gregorius[1], secundum incrementa temporum crevit et scientia spiritualium Patrum..., non est dubium quin et his qui praesentes fuerunt multo amplius contulit rerum ipsarum exhibitio... ut clarius perciperent *quod vix tenuiter obscureque praesenserant*... Quod si Prophetae, et qui illustriores videbantur in illo populo, non omnes omnia liquido aequaliter agnoscere valuerunt..., idque absque praeiudicio suae sanctitatis et perfectionis, quanto magis simpliciores quique iusti, sine detrimento salutis, salvationis tempus, modum et ordinem nescire potuerunt; quae tamen certa spe et fide, uti promissa fuerant, firmissime tenuerunt... Ita ergo multi ante Salvatoris adventum, Deum omnipotentem tenentes, et diligentes suae sa-

1 *Homil.* XVII in Ezechiel.

lutis gratuitum promissorem, credentes in promissione fidelem, sperantes certissimum Redemptorem, in hac fide et expectatione salvati sunt, licet, quando et qualiter et quo ordine salus repromissa fieret, ignorarent ». In quorum confirmationem S. Abbas profert Bedae testimonium qui dicit: « Ita ut nunc omnis populus Christianus scire et confiteri debeat fidem, **quam eo tempore pauci admodum et perfectiores quique noverunt, quamvis omnis populus Dei etiam tunc eiusdem mysteria fidei in legalibus caeremoniis typice portaret** ». Quae ipsissima sunt ac ea quae ex D. Th. iam altulimus num. 29.

81. Igitur, cum ex S. Bernardi sententia, neque realis perceptio baptismi, nec desiderium explicitum ipsius, nec fides explicita Redemptionis requiratur ut conditio *sine qua non* ad salutem, patet nequaquam repugnare ulli dogmati Christiano quod etiam in gentilitate tum adulti tum parvuli regenerari possint interius et salutem consequi, supplente defectui et ignorantiae ipsorum fide magnae Matris Ecclesiae, dummodo bene dispositi sint ad Deum ea fide et cognitione et bona voluntate qua possunt.

Conclusio.

82. Non itaque aliquid nimii *exclusivismi* aut particularismi continet illa sententia **extra Ecclesiam catholicam nulla salus,** dum, iuxta traditionem, ad eam Ecclesiam, extra quam non est salus, pertinere possunt spiritualiter quotquot sunt bene volentes: etenim omnibus catholicis **notum est eos qui invincibili circa sanctissimam nostram religionem ignorantia laborant, quique naturalem legem eiusque praecepta in omnium cordibus insculpta sedulo serventes, ac Deo obedire parati, honestam rectamque vitam agunt, divinae luci et gratiae operante virtute aeternam consequi vitam:** et ii

tantummodo pereunt qui mala voluntate extra societatem Sanctorum vel visibilem vel invisibilem culpabiliter degunt: etenim **notissimum quoque est catholicum dogma, neminem scilicet extra catholicam Ecclesiam posse salvari, et contumaces adversus eiusdem Ecclesiae auctoritatem, definitiones, et ab ipsius Ecclesiae unitate, atque a Petri successore Romano Pontifice, cui vineae custodia a Salvatore est commissa, pertinaciter divisos, aeternam non posse obtinere salutem,** q. e. d.

APPENDIX *A*.

—

Del preteso particolarismo del Pentateuco [1].

Obbiezione. Si pretende che il *Pentateuco particolarizzi* l'idea di Dio, limitandone le attinenze al solo popolo Ebreo.

La qual obbiezione può venire presentata sotto due aspetti differenti che vogliono essere ben distinti. Perocchè:

O si vuol dire che Iehova nel *Pentateuco* comparisca come il Dio proprio e titolare della sola nazione de' Giudei *per limite di natura e di dominio*, talchè non venga rappresentato come l'Iddio unico e supremo creatore di tutte le cose, e signore di tutti i popoli della terra; ma come il Dio particolare de' Giudei contrapposto agli dèi particolari e proprii delle altre nazioni, benchè più potente di quelli:

O si vuol dire che Iehova, essendo *per natura* il Dio unico e supremo del mondo, pure nel *Pentateuco* è concepito come il Dio proprio e particolare dei soli Giudei *per limite e parzialità di amore*, contro alla vera dottrina della ragione e del Vangelo, che si accordano nel ripudiare come troppo ripugnante alla bontà suprema e universale di Dio ogni siffatta grettezza e parzialità, e proclamano per la bocca di Paolo: « An Iudaeorum Deus tantum? etc. » (*Rom.* III, 29).

1 Vedi Hengstenberg, *Die Authentie des Pentateuches* 2er Band, pag. 551 e seguenti.

Risposta.

I. Quanto al primo aspetto dell'obbiezione (sul quale avremo occasione di tornar nuovamente nel libro dell'unità del *Pentateuco*, ove si tratterà del significato e delle attinenze reciproche de' due nomi di Dio, Elohim e Iehova) rimettendoci per ora a quanto scrive il Janssens nella sua *Hermen. sacra*, cap. II, § 16, num. 51, ci contenteremo di osservare:

1° Che un tale aspetto di particolarismo è manifestamente ripudiato dal luogo classico e fondamentale dell'*Esodo*, III, 14, dove il sacro nome di Iehova viene spiegato nel concetto di Ente assoluto, eterno ed infinito, che esclude perciò ogni limite di natura e di dominio;

2° Che nel concetto dei libri santi del V. T., e segnatamente del *Pentateuco*, quello stesso Iddio che è chiamato *Iehova* (vulg. *Dominus*) per esprimerne le attinenze particolari col popolo eletto, come *Dio dell'alleanza e della rivelazione*, è quel medesimo che è chiamato *Elohim* (vulg. *Deus*) per esprimerne le attinenze universali con tutti i popoli, come Dio della creazione: laonde si chiama più volte con nome composto Elohim-Iehova, o Iehova-Elohim (vulg. *Dominus Deus*), per significare che l'Iddio supremo e universale del mondo (*Elohim*) s'è fatto, per ispecialità d'alleanza e di amore, il Signore ed il condottiere particolare del popolo suo (*Iehova*); e viceversa, che il Signore particolare del popolo ebreo è pure il Dio onnipotente di tutte le nazioni. Laonde il particolarismo (se pure vi ha, del che diremo fra poco) del nome di Iehova non può esser altro che un particolarismo *di elezione e di alleanza*, il quale non esclude l'universalismo *di natura e di divinità*, ed anzi lo presuppone. Ed infatti, che fosse particolarismo di elezione e non di natura, è detto espressamente nel *Deuteronomio*[1]. « En Domini Dei tui caelum est, et caelum caeli, terra » et omnia quae in ea sunt. *Et tamen* patribus tuis conglutinatus est Dominus, et amavit eos, elegitque semen eorum post » eos, idest vos, de cunctis gentibus, sicut hodie comprobatur ».

II. Ma ripugna egli forse all'universalità dell'amore e provvi-

1 *Deut.* x, 14.

denza di Dio questa particolarità di attinenze speciali in cui s'è messo col popolo dell'alleanza e della rivelazione (che è il secondo aspetto dell'obbiezione)?

Tanto pretesero primamente i deisti inglesi del secolo scorso, p. e. Bolingbroke presso Leland, tom. II, pag. 589; tanto ripetò sul principio di questo il filosofo Kant scrivendo: « Nonchè il Giudaismo potesse servire di preparazione a una chiesa universale, escludeva anzi dalla sua comunanza tutto il genere umano, riguardando se stesso come solo popolo peculiare di Iehova, e suoi nemici tutti gli altri popoli della terra »; ed anco a' nostri giorni lo Schleiermacher non si peritò di dire: « il Giudaismo con quel suo ristringimento dell' amore di Iehova nella sola discendenza di Abramo, tiene una grande affinità col feticismo (!)[1] ».

Ora l'obbiezione così proposta pecca di due difetti, che vogliono ciascuno la sua risposta. Perocchè:

Per una parte è falso che ripugni all'universalità dell'amore e provvidenza di Dio ogni maniera di particolarismo di elezione e di alleanza, e in ispecie quello che gli è attribuito nel V. T. verso la discendenza di Abramo[2]:

E per l'altra parte poi è falso che nel V. T. sia attribuito a Dio un tale particolarismo esagerato ed esclusivo, quale realmente ripugnerebbe all' universalità del suo amore e della sua provvidenza verso tutti gli uomini.

I. Dicevo in primo luogo che non ogni specie di particolarismo ripugna all'idea di Dio, altrimenti converrebbe condannare non meno il Vecchio che il Nuovo Testamento; perocchè il voler porre su questo punto in opposizione od antitesi fra loro le due alleanze, sarebbe inutile tentativo.

Ed invero, 1° il N. T. riconosce ed accetta pienamente il particolarismo dell'antico. S. Paolo, cui niuno taccierà di particola-

1 *Glaubenslehre*, I, pag. 52.

2 Perocchè questo particolarismo di elezione non si può negare che sia ammesso nel V. T. giacchè lo professa in termini lo stesso Dio, dicendo: « Te elegit Dominus Deus tuus ut sis ei populus *peculiaris* de cunctis po- » pulis qui sunt super terram. Non quia cunctas gentes numero vincebatis, » *vobis iunctus est* Dominus et elegit vos, cum omnibus sitis populis paucio- » res; sed quia dilexit vos Dominus et custodivit iuramentum quod iuravit » patribus vestris ». *Deuter.*, VII, 6-8.

rismo giudaico, al quale anzi si oppose più di tutti gli Apostoli, dice tuttavia che durante l'antica alleanza i Gentili erano stati senza Cristo, alieni dalla società di Israele, stranieri all'alleanza e alle promesse, senza speranza e senza Dio in questo mondo (ἄθεοι ἐν τῷ κόσμῳ), perchè estranei a quella visibile comunanza nella quale l'Iddio vero e vivo peculiarmente risiedeva [1]; e che per contrario tutte queste eccelse prerogative appartenevano in proprio ai soli Giudei: « Qui sunt Israelitae, quorum adoptio est filiorum, » et gloria, et testamentum, et legislatio, et promissa, quorum pa- » tres, et ex quibus est Christus secundum carnem [2] ». Che anzi lo stesso Divin Redentore espresse più volte la preferenza data ai Giudei in ordine al Regno di Dio, imponendo da principio a' suoi Apostoli di adoperare soltanto a pro di quelli il ministero che avea loro affidato: « Praecipiens eis dicens: in viam gentium ne abie- » ritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis; sed potius » ite ad oves quae perierunt domus Israel [3] »; e professando egli medesimo di non essere stato primariamente mandato che per essi « non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israel [4] », e quelli riguardando come figliuoli, i Gentili poi a loro confronto trattando quasi come cani: « Non est bonum sumere panem fi- » liorum et mittere canibus [5] »; alle quali parole adattò anche la propria condotta, avendo entro i soli limiti della Giudea esercitato il suo publico ministero; e gli Apostoli pure vi si conformarono, avendo da principio predicato il Vangelo ai soli Giudei, e in ogni città ove andavano dando sempre ad essi la preferenza

1 « Memores estote quod aliquando vos gentes in carne... eratis illo in tem- » pore *sine Christo*, alienati a conversatione Israel, et hospites testamentorum, » promissionis spem non habentes, *et sine Deo in hoc mundo* ». *Eph.* II, 11-12. Le quali parole come vadano nondimeno intese in un senso, per così dire, *legale* ed *esteriore*, senza escludere l'*interiore* possibilità della salute per ogni gentile, si vedrà in parte più innanzi, e più largamente viene spiegato dai teologi nel dichiarare la sentenza cattolica che fuori della vera Chiesa di Gesù Cristo non vi è salute. Vedi sopra ciò la dissertazione speciale *De Intolerantia Catholica, seu de sententia « extra Ecclesiam nulla salus »*.

2 *Rom.* IX, 4, 5.

3 MATT. X, 5, 6.

4 MATT. XV, 24.

5 Ibid. V, 26.

sopra i Gentili, come leggesi di S. Paolo negli *Atti degli Apostoli*, cap. XIII, 5-45; il quale vedendo da essi ripudiata la parola di Dio, soggiunse: « Vobis oportebat *primum* loqui verbum » Dei, sed quoniam repellitis illud, et indignos vos iudicatis » aeternae vitae, ecce convertimur ad Gentes [1] » O non conveniva adunque muovere questa obbiezione di particolarismo contro il V. T., o conveniva avere il coraggio di estenderla eziandio contro il nuovo.

